

# EPHEMERIDES

SOCIETATIS METEOROLOGICAE  
PALATINAE.

---

## HISTORIA ET OBSERVATIONES ANNI 1781.

---

ACCEDIT DESCRIPTIO INSTRUMENTORUM METEOROLOGICORUM, TAM EORUM, QUAE  
SOCIETAS PER EUROPAM DISTRIBUIT, QUAM QUIBUS PRAETER HAEC  
MANHEIMII UTILITUR.

---

CUM FIGURIS AERE EXCUSIS.

---



---

MANHEIMII  
EX OFFICINA NOVAE SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE MDCCLXXXIII.  
PROSTANT APUD C. FR. SCHWAN, BIBLIOPOLAM AULICUM.

CAROLO  
THEODORO

PRINCIPI PHILOSOPHO,  
PIO, IMMORTALI,  
MUSARUM DELICIIIS AC DECORI,  
CONDITORI SUO AUGUSTISSIMO,  
HAS LABORUM SUORUM PRIMITIAS,  
SEQUE AC STUDIA SUA,

D. D. CONSECRAT

SOCIETAS METEOROLOGICA  
PALATINA.





## PRAEFATIO.

**T**andem aliquando, ac ferius quidem ut aliorum sic nostris ipsorum votis, in lucem prodit primus Ephemeridum nostrarum tomus. Citius ut prodiret, nullam non dedimus operam, sed efficere vel improbo labore non potuimus. Sane si omne, quod ajunt, principium grave, id praecipue in vasto hoc & arduo opere locum habuit. Formae in eo & ordinis delectus, missarum recensio observationum, historiae societatis elaboratio, descriptio instrumentorum meteorologicorum, variorum scriptorum in linguam latinam traductio, typographi instructus, & comparatio earum rerum omnium, quas novi operis editio tam pro indole quam pro dignitate sua postulabat, tum observationum com-

## PRAEFATIO.

positio typographica, hujusque emendatio, quae utraque ob infinitam numerorum signorumque multitudinem immanis laboris res est, haec & multa alia tantam rei moram attulere.

Atque haec ipsa etiam causa est, quod annotationes speciales, tam a nobis quam a quibusdam observatoribus juxta Moniti paragraphum XIII institutae, hic desint. Has ad calcem ceterarum observationum rejicere, & eo ordine imprimendas curare decreveramus, quo istae praecessissent. Sed principibus observationibus jam excusis cum nundinae Lipsienses instarent, ubi bibliopolae ex omnibus Europae partibus convenire solent, speciales eas, quas diximus, annotationes omittere necessum fuit, ne peropportunam occasionem, sua tam iis, qui subscribere, quam exteris observatoribus nostris exemplaria mittendi, relinquere cogeremur.

Adjungere etiam huic tomo constitueramus omnium observationum inter se collatarum confectaria, quae excerpenda & digerenda sibi sumferant duo astronomi & focii nostri Mayerus & Königius. Sed priore illo gravi & pertinaci morbo, qui in hunc diem durat, ante medium annum correpto, opus hoc ad finem perducere non potuit, quod tamen fortasse una cum proximo Ephemeridum tomo ita comparatum  
prodi-

## PRAEFATIO.

prodibit, ut cum observationibus hujus anni, ad quas spectat, in unum volumen compingi possit. Interim colendissimos omnium locorum observatores nostros vehementer oramus, ut, si per negotia illis ullo modo licet, confectaria ejusmodi, qualia nos, & clarissimus sodalis noster Toaldo (pag. 124 & 291) dedimus, ex observationibus suis, si non omnia, potiora saltem, ipsi extrahere velint. Rationem id faciendi confectariis observationum Manheimensium ubique adjunctam invenient. Votis nostris qui annuent, operam nobis praeclaram praestabunt. Divisum inter tot socios opus difficultatis parum habet, at collectum in arduam evadit molem, cui dimovendae paucae manus, quales nobis sunt, vix pares existunt.

Opem similem in quavis re alia, quae ad perficiendum explicandumque hoc opus facere poterit, a clarissimis observatoribus nostris allatum nobis iri confidimus. Illud enim totum non magis nostrum quam singulorum est. Omnium in eo ratio, omnium gloria versatur, unde rem non alienam sed propriam agent. Quam rude vero & imperfectum adhuc sit, nobiscum omnes facile persentiscent. Totum, quantum est, vix aliud quam impolitae materiae nomen meretur. Cum autem aedificium, quod ex hac olim extruendum est, universarum gentium spectet utilitatem, meteorologiae cultorum peritorumque omnium, etsi  
nulla


## PRAEFATIO.

nulla nobis societate conjuncti sint, auxiliatrices manus evocamus. Quidquid in excitando hoc aedificio moliti fuerint, quidquid ex oblata materie construxerint, nobis missum grati accipiemus, &, si luce dignum fuerit, cum orbe literato communicabimus.

Precamur interim summum illud & aeternum Numen, omnibus ut fociis, adjutoribus & amicis nostris cumulatum impertiatur felicitatem, inprimis vero principem optimum, cujus liberalitate & clementia omne hoc coepit statque Institutum, sospitem ac valentem quam diutissime nobis & universae reipublicae literariae conservet.

Ex Museo meteorologico XVI Cal. Aprilis M DCC LXXXIII.

# HISTORIA SOCIETATIS METEOROLOGICAE PALATINAE.



**S**ocietatis nostrae historiam scripturus unde exordium potius ducam quam ab augusto ejus conditore, **Carolo Theodoro** philoso- pho, floris omnis & felicitatis, qua Musae hodie in Palatinatu gaudent, autore ac patre? Natus ut saluti populorum, sic bono literarum immortalis princeps nullum scientiarum bonarumque artium genus ipse non excoluit, nullum spiritu ac stabili fede

fuis in terris non donavit.

Quantum studiis doctrinisque semet applicaverit, ex profunda illa sapientia & vastissima rerum cognitione elucet, quam in eo omnes, quotquot adeunt, vel ipsi artium magistri obtupescunt & venerantur. Quid vero egerit, ut literas apud suos quam latissime diffunderet ac firmaret, testantur complures societates literariae, quas diversis in urbibus instituit, ac praeclaris legibus, redditibus, membris communivit. Huc spectat academia scientiarum & elegantiorum literarum, quae Manheimii est, academia artis pictoriae, statuariae & architectonicae Dusseldorpii, academia graphidos & statuariae Manheimii, Societas oeconomica Lutrae, societas teutonica Manheimii. Testantur numerosae artium & scientiarum scholae ac cathedrae, quas praeter eas, quae in celebri Heidelbergensium universitate jam vigeant, cum hic tum alibi fundavit, videlicet schola militaris, obstetricia, anatomica, chirurgica, pictoria, architectonica, agricolaris; cathedra sacrae eloquentiae, ac cathedra elegantiorum literarum, utraque ad delicatius aetatis nostrae palatum instituta. His accedit theatrum nationale & orchestra aulica, illud mo-

rum bonique gustus, haec musicae tota Europa facile praestantissimae \*) schola. Testantur denique thesauri literarii amplissimi, sumtibus plusquam regiis collecti, plurimam partem in ipso palatio Manheimensi, principis sede, collocati, sciendi cupidis omnibus, indigenis exterisque, patentes. Hos inter primo loco nominanda est bibliotheca ditissima, omnigenae eruditionis apparatu instructa, per omnem late Germaniam paucis secunda; tum pinacotheca, armarium imaginum tam aere excusarum quam delineatarum, musaeum historiae naturalis, antiquitatum, statuarum, anatomicum, numophylacium, quibus adde cum hortum botanicum locupletissimum, tum magnificam speculam astronomicam, tam firmo quam eleganti opere in coelum eductam, & praestantissimis instrumentis ex Anglia accitis donatam.

Haec tam varia tamque illustra literarum monumenta attigisse sufficiat; infinitus enim forem, si persequi singula & digna complecti oratione vellem. Postulat praesens, quod tractamus argumentum, ut, quid ad physicam Musagetæ noster contulerit, paulo fusius enarremus. Singulari studio hujus scientiae nunquam non tenebatur, ejus enim cum ceteris scientiis & artibus omnibus arctissimam conjunctionem probe perspectam habebat. Hinc libros physicos diurna versabat nocturnaue manu, & naturae scrutatoribus colloqui, eorum experimenta coram intueri, nova instrumenta aliaque inventa ad physicam spectantia noscitate, examinare, periclitari in deliciis habebat. Quo vero arcana naturae per otium investigare efficacius posset, armarium quoddam physicum in palatio suo aestivo Schwezingensi ad proprium sibi usum instrui curavit. In hoc esse frequentissimus, instrumenta suis ipse manibus tractare, aliorum experimenta repetere, tentare nova, longaue meditatione omnia conferre inter se ac colligare solebat. Quoties convocatos aulae proceres ac nobiles matronas hisce experimentis suis interesse voluit! Hic ille posita principis majestate doctoris subiit vices, miracula naturae pandit, ostendit leges, atque abditas ejus vias mira luce perfudit, qua re id, quod intendit, consecutus est, ut scilicet illustrium auditorum suorum animos vivo physicae amore accenderet.

Laetus

\*) Rem nihil exaggero, utpote peritorum omnium judicio comprobata. Horum nemo unquam fuit, quem symphoniae nostrae concentus in stuporem non rapuerit, nemo, qui non tacite vel palam cum celebri Musico anglo Burney senserit. Hic saepius audita discussaque musica nostra „ non possum, inquit, orchestrae electorali debitas laudes non perolvere, quae jure tantam celebritatem per universam Europam est nacta. Reapse omnia in illa reperi, quae expectare „ communis me fama jussit. Plures sane tibicines fidicinesque solitarii, plures praeclari compositores in hac, quam forsitan in ulla alia Europae orchestra existunt. Ducum hic exercitus „ est, qui non minus pares sunt aciem instruendo quam in ea dimicando“. Diarii itineris musici edit. germ. pag. 73. Mitto cetera laudum praeconia, quibus autor extraordinariam, ut vocat, hanc orchestram, tum Electoris profusam in Musicen liberalitatem, ac praeclaram hujus artis peritiam, denique singulare studium limatumque judicium musicum per omnem Palatinatum diffusum extollit.

Laetus incitatusque tam felici rei successu divinae hujus scientiae lucem latius in subditos diffundendi consilium cepit. Quare in mandatis mihi dedit, in palatio suo Manheimensi ut cumulatissimum physicae experimentalis musaeum concinnarem, quae res ut flueret expedite magis, omnia mihi integra esse, nec alii quam sibi rationem reddi voluit, reservata sibi ipsi suprema totius negotii cura. Incredibile dictu est, quanta contentione egerit optimus princeps, ut opus brevi tempore confectum fini suo ex omni parte responderet. Nihil difficultatum identidem occurrentium magnitudo, nihil vis sumtuum prope immensa, quos omnes ex aerario suo sanctiori suppeditabat, ardentissimum ejus studium diminuere potuerunt. Saepe numero musaeum inceptum solus sine arbitris adivit, collectaque instrumenta inspexit, examinavit, ordinavit; saepe, quae nondum viderat, in conclave suum secretius adferri sibi iussit, ubi iis periclitandis multas continentes horas dabat. Totum literarum commercium, quod musaeum spectabat, suo nutu moderatus est, nec ulla res fuit, in qua me opere ac sapientissimis consiliis, quibus ubique maxime pollet, non juverit, exererit, inflammavit.

Laete indies procedebat magnificentum opus, & ad illud spectandum ingens hominum multitudo identidem confluebat. Licet autem tunc a perfectione ac hodierno suo splendore adhuc longe abesset, nemo tamen fuit omnium, qui haec initia non admiraretur, & publicis laudibus munificentissimum conditorem non celebraret. Tam praeclaram suorum existimationem adjuturus sapientissimus princeps insigni mox exemplo ostendendum esse censuit, non inane esse oblectamentum, quod pararet opus, sed ejus in rebus summi momenti & ad publicam utilitatem spectantibus magnum fore usum. Itaque quae de aver-tendo fulmine recentiorum comperta erant observationibus & experimentis, haec ad effectum suis in terris dari, ac in palatio suo Schwezingensi initium fieri voluit. Qui comparati sint conductores, quibus hoc aliaque aedificia munivi, in quarto tomo physico academiae nostrae fufe videre est. Sed admota operi prima manu non facile dixero, quanta in multorum animis trepidatio extiterit; haec enim praejudiciorum, eorum praesertim, quae materno quasi cum lacte hausimus, communis est indoles, ut vel luculentissimae rationi nunquam non aegre cedant. Quare nulli parvum artificium, nulla machina non adhibita fuit ad principem a proposito abstrahendum. Ast hic rupe stetit immotior, probe comper-tum habens, quam medici secantis manum aeger primum horret, eam sanitati restitutum exoculari. Optatus respondit eventus. Conductoribus enim in palatio, quod diximus, Schwezingensi, tum in aliis publicis aedificiis electoralibus tam Heidelbergae quam Manheimii collocatis omnis sensim timor ita diffluit, ut per omnem Palatinatum paucos reperias, apud quos fulmineae hae deliquiae in honore non versentur, in pluribus privatorum aedibus tam urbanis quam ruralibus locum hucusque nactae.

Similis conductorum successus in Bavaria fuit, quatuor ab hinc annis haereditario jure ad serenissimum Electorem nostrum devoluta. Cum enim anno superiore conducto-

res in palatiis Nimphenburgico & Monachienfi juffu principis adornarem, magnae primum turbae exortae funt, minis adeo mixtae, quae quosdam Monachii incolas ab imitando Electoris exemplo deterruere, at opere confecto mirum est quanto studio praeclara gens, ad res quasvis egregias a natura efformata, has machinas fit complexa. Jam enim certatim longe lateque, per urbes & pagos, in facris profanisque aedibus eriguntur.

Curas hac in re etiam in ducatus suos juliacensem & montensem praestantissimus princeps intendit. Plures enim jam anni funt, ex quo in mandatis accepi, ut, quae Juliaci & Duffeldorpii funt pulveris pyrii promptuaria, a fulmine tuta praestarem; sed haec jussa exequi alia negotia in hunc usque diem vetuere. Tanta in universum funt, quae Carolus Theodorus pro conductoribus egit, ut a Langenbuchero \*) principum Germaniae primus nominetur, qui eos suas in terras induxerit.

Sed ad musaeum nostrum physicum redeamus. Hoc tandem paucos intra annos praestantibus omnis generis instrumentis ac machinis largissime instructo providere placuit clementissimo fundatori, ut non firmum modo staret, sed incrementum adhuc & novas identidem vires caperet, quem in finem ex eodem aerario suo peculiari pecuniae summam annuam non exiguam assignavit, qua nova instrumenta comparari caeteraque expensae necessariae fieri possent. Voluit insuper, quod eo est amplius, ut non tantum ad hoc musaeum, quemadmodum ad cetera, liber cuivis esset accessus, sed ut etiam institutis experimentis adjumentum subditis in investiganda natura adferretur.

Meteorologiam serenissimus princeps jam diu adamavit, & privatim egregie coluit, variis instrumentis meteorologicis undique comparatis, & in conclavi suo collocatis, quae non modo domi Indies omnia, verum etiam, quoties faciebat iter, partem secum asportatam diligentissime observabat. Quo utilissimae hujus scientiae studium incretceret magis & fructus existeret uberior, speculam primum meteorologicam juxta musaeum physicum condere ac instruere, dein magnam vim instrumentorum meteorologicorum correspondentium parare me jussit, quae per omnes terrae partes mitterentur, ut, quae hactenus desideratae fuerant, observationes inter se comparabiles literatus orbis hac via indidisceretur. Normam insuper observandi, futuris observatoribus communicandam, ut conficerem, imperavit, quavis & probata animum ad instituendam Eruditorum societatem adjecit, quae tenellam scientiam meteorologicam communi studio & collatis quasi viribus excoleret ac roboraret. Hanc Societatem ut mente sapienter conceperat, ita constanter condidit, quemadmodum ex eo, quod subjicimus, electorali Rescripto \*\*) apparet.

Sere-

\*) Beschreibung einer beträchtlich verbesserten Electricitätsmaschine, Zueignungsschrift 5 f.

\*\*) Ex germanico in latinum translato.

*Serenissimus Elector.*

*Scientiae, quae praeter id, quod consilia Dei sapientissima manifestent, per se in hominis vitam ac quotidiana ejus maximeque necessaria negotia proxime influunt, singularem certe idcirco locum suique curam & attentionem merentur; quoque magis earum cultura hac aetate neglecta esse videtur, eo magis refert in iis excolendis perficiendisque elaborare.*

*Hisce rationibus ductus serenissimus Elector meteorologiam tutela sua inprimis dignam esse existimavit, resque ita ordinari modo curavit, ut pluribus idoneis locis non solum per omnes ejus terras haereditarias, sed & per reliquam Europam aliasque orbis partes instrumentis, quantum fieri potest, correspondentibus, ejusque sumptibus confectis, quotidianae posthaec observationes instituuntur ac colligantur.*

*Hunc finem ut eo certius consequeretur serenissimus princeps, clementissime decrevit, debitam operi firmitatem tribuere, ea autem re Academiae Scientiarum Manheimensi, laboribus suis ut nominis famam non exiguam, sic summam ejus approbationem hucusque consecutae, novum simul campum aperire. Quapropter novam in ea subdivisionem sub nomine classis meteorologicae constituit, ea tamen lege, ut membrorum ordinariorum numerus a prima ejus origine definitus & hucusque servatus idcirco non augeatur, sed labores huic classi proprii sociis quibusdam, tribus minimum, modo adscriptis, seu ordinariis seu extraordinariis, a Praepositis Academiae speciatim ita committantur, ut sociis hisce extraordinariis, quoties id laborum ratio postulaverit, aut lucubrationem huc pertinentem ipsi habuerint, quam Academiae proponant, ad conventus academicos accessus pateat.*

*Meteorologicis his sociis cura incumbet, gnaros & industrios observatores locis commodis inquirendi ac secum conjungendi, nova instrumenta excogitandi, emendandi jam inventa, recens oblata examinandi, jam confecta periclitandi, per omnes terrae partes literarium colendi commercium, illatas quaestiones decidendi, proponendi novas observatoribus vias, factas observationes colligendi, easque pro communi operis usu latinitate donandi, illustrandi commentationibus ex ipsa observationum comparatione natis, praelo quotannis subjiciendi, ac ea in universum agendi omnia, quae ad illustrandam hanc scientiam tam parum adhuc excoltam, & ad contingendum scopum a serenissimo Electore propositum spectant. Hunc in finem secretarius iis proprius dator, par toto in opere adjuvandis, & salario laboribus suis digno ab Academia impertiendus. Observatores per varias regiones distributi pro exteris classis meteorologicae membris academiae adscribuntur, singulisque barometrum, thermometrum, hygrometrum, & ubi id requisitum fuerit, conditioque loci tulerit, acus declinatoria mittitor, quae instrumenta, velut supra dictum est, principis impensis probe harmonica parantur. Por-*



ro ut ratio in omnibus eadem seruetur, tam *Monitum a consiliario ecclesiastico Hemmero conscriptum*, quam ejus tabula meteorologica typis excuduntur, & observatorum cuilibet ejusdem *Moniti exemplar unum, tabularum vero numerus sufficiens communicator*. Quo viam mittendarum ejusmodi rerum ac numerosissimarum literarum, quas negotium hoc postulat, securiorem facilioremque redderet serenissimus princeps, per administrum suum negotiis exteris praepositum omnibus legatis electoralibus in mandatis dedit, ut quosvis hujus generis fasciculos literasque recipiant, porro mittant, ac in rationes referant.

Hanc summam principis voluntatem status & secretiorum consiliorum administrum actualis &c. liber Baro de Oberndorf, dictae academiae pie sequendam communicato.

Datum Mosachii die 15 Septembris 1780.

C. Th. E.

Vt L. B. de Vieregg.

Monitum, cujus in rescripto fit mentio, juxta principis mandata impressum, hic adjungimus.

*Monitum ad observatores societatis meteorologicae Palatinae, a serenissimo Electore Carolo Theodoro recens institutae.*

Societas meteorologica singulis observatoribus, quos per universam Europam distributos habet, & progressu temporis etiam per reliquas orbis partes habebit, barometrum, thermometrum, hygrometrum & acum declinatoriam suppeditat, circa quorum usum ei visum est sequentia monere.

I. Barometrum, antequam obturamentum e sphaera eximitur, in conclavi, quod caleferi nunquam solet, extra omnes solis radios, aequa cum observatoris oculo altitudine, situ perpendiculari, & firmiter, ne moveri possit, parieti suspenditur. Tum obturamentum e sphaera caute tollitur, columna mercurialis a summitate tubi, si ei forte adhaeserit, leni digiti impactu divellitur, & tantum mercurii e laguncula capsae lignae inclusa ope infundibuli vitrei in eadem capsula reclusi affunditur, ut, qua parte a vitri pariete recedere seu figuram convexam assumere incipit, lineam nigram a dextra sphaerae laevaue ductam exacte aequet. Quod si casu nimium affusum fuerit, id sugendo demitur, quem in finem tubulus vitreus in capsula reperitur, cujus extremum recurvum mercurio immittitur, qui leni suctu attractus in sphaerulam tubi attollitur, quin in os intret. Post haec charta aut vesica aliquot foraminulis perforata orificio sphaerae imponitur & alligatur. Quod si locus, ubi barometrum suspensum est, a praetereuntibus frequentetur, consultum erit, partem ejus inferiorem, praecipue sphaeram, circumducta cistella contra fortuitos casus munire. In observatione hujus instrumenti, quam aliquot

aliquot lenes succussus tabulae lignae prope summitatem columnae mercurialis digito imprimendi immediate praecedere debent, regula nonii mobilis cochlea instructa, qua firmari magis minusve pro libitu potest, eo usque promovetur, dum curvati indicis acies superior extremam mercurii partem, qua vitrum contingit, judicio oculi e regione seu in eadem linea horizontali constituti \*) omnino tegat. Tum linea regulae suprema, quae pari libra cum dicta indicis acie est, altitudinem mercurii in digitis lineisque, quadrato oblongo a dextra inscriptis, clare indicabit, siquidem cum aliqua hujus quadrati linea coinciderit. Quod si non coincidat, sed superet, videndum, quatenam alia ejusdem regulae linea coincidat; huic adscriptus numerus partes lineae decimas insuper exhibebit. Eidem tabulae lignae barometri insertum thermometrum una semper observandum est, ut, quem effectum calor frigusve in barometro produxit, ejus ratio simul haberi possit. Reductionem hac in re faciendam secretarius societatis in se suscipiet.

II. Thermometrum extra conclave, versus plagam borealem, nullis, si fieri possit, aedificiis aliisve obstaculis impeditam, a muro aliquantum sejunctum, libero aëri ita exponitur, ut nulli solis radii seu directi seu reflexi in illud incidere unquam possint. Cum observandi gratia inspicitur, cavendum, ne vapore candelae orisve halitu ad motum, ad quem pronissimum est, concitetur. Mercurio infra zerum haerente gradus praefixo signo (—), omnia tamen parentesi, notantur. Spatium, quod liquor in thermometris nonio destitutus ultra integrum gradum occupat, id in partes medias, tertias & quartas dividi solet, sed in partes decimas dividendum malimus. Has ii, qui nonio in barometris aliquo tempore usi fuerint, nudo oculo perquam facile aestimabunt.

III. Juxta thermometrum libero aëri expositum suspenditur hygrometrum, non tantum a radiis solaribus, sed & a pluvia conservandum.

IV. Tabula marmorea, quae acum declinatoriam ope sili sustinet, pedi lapideo firmissimo, commodo loco erecto, ut circumiri possit, tres circiter & dimidium aut quatuor pedes alto, & tres minimum pedes ab omni ferrea supellectile circumquaque remoto, in superiore superficie aliquantum exserto, juxta lineam meridianam exactissime ductam, situ omnino horizontali imponitur. In observatione capsula mobilis lente circumagitur, donec cuspis acus borea lineae vitro opposito incisae accurate respondeat, quo facto nonius anteriori capsulae parti junctus declinationis gradus & minuta in tabula marmorea exhibebit.

V.

\*) Hunc situm observator sequenti modo tuto consequitur. Indice ad extremitatem columnae mercurialis prope adducto caput elevat, donec umbram conspiciat, quam in tubum vitreum index projicit. Tum caput lente submittit, donec umbra penitus dispereat, quo facto oculus cum indicis acie superiore aequali libra exigit.

V. Optaret magnopere societas, ut observatores singuli praeter quatuor haec instrumenta etiam electrometro atmosphaerico, anemometro, hietometro & evaporatorio instructi essent. Sed cum tria priora commode mitti nequeant, quartum vero nec curum nec operosum sit, cujusvis studio societas relinquit, ea sibi quacumque demum via comparare.

VI. Anemometro qui carent, ii bracteam versatilem vel tritonem, in turri aliove edito aedificio firmatum, ventis undequaque libere expositum, & oppido mobilem (id quod in his instrumentis plerumque desideratur), observare poterunt. Plagas & nomina praecipuorum ventorum tabula speciali damus\*). Vid. Tab. I. Venti vires in quatuor dividuntur gradus, numeris 1, 2, 3, 4 respondentes. Gradus primus arborum duntaxat folia, secundus ramos minores, tertius ramos majores agit, quartus denique, quae summa venti vis est, procella dicta, ramos avellit, aut arbores ipsas rumpit sternitve. Perfecta ventorum quies seu malacia zero (0) notatur.

VII. Si stationem seu locum observationis flumen aut amnis praeterlabitur, ejus incrementa & decrementa etiam observanda sunt, quem in finem palus justi roboris in altiore alvei loco in terram adigitur, ad eumque tabula firmatur in pedes digitosque parisinos\*\*) divisa. In hac punctum aliquod fixum notatur, a quo numerandi fit initium, quodque mediae altitudinis aquam indicat. Desumitur autem haec altitudo ab eo statu, in quo flumen esse solet, cum neque a diuturnis pluviis fusae nivium copia intumuit, neque longa coeli siccitate extenuatum est. Si aqua infra mediam altitudinem descenderit, numero ejus altitudinem indicanti signum (—), quemadmodum in thermometris (p. 9), praepositur. Mare qui accolunt, reciprocantes ejus aestus, signos patitur, & quoad tempus & quoad magnitudinem observant.

VIII. Ter indies ope instrumentorum meteorologicorum observationes capiuntur, scilicet hora septima matutina, secunda pomeridiana, & nona vespertina (norint Itali, diem naturalem nobis in bis duodecim dividi horas, quarum alterum dimidium meridie, alterum media nocte initium sumit). Aquam tamen ex hietometro promere, quantitatem aquae, quae evaporavit, notare, uti & altitudinem fluvii observare, semel quovis die stata hora, v. gr. secunda pomeridiana, sufficit. Siquis negotiis impeditus dictis horis observare nequit, id quod aegre ferret societas, is alias seligat commodiores, attamen his, quantum fieri potest, vicinas.

IX. Quoties instrumenta meteorologica consuluntur, etiam coeli facies examinatur, an scilicet sit serenum aut nubilum. Ad haec notanda sequentia signa pertinent:

☉ signi-

\*) Latina ventorum nomina, quae haec tabula continet, apud veteres multum variare notum est; sed nihil refert, modo inter observatores & lectores nostros de iis conveniat.

\*\*) Mensura parisina in omnibus instrumentorum nostrorum divisionibus utimur.

☉ significat coelum ex omni parte serenum, quo tamen in statu si pallidior solis stellarumve lux fuerit, huic signo crux adjungitur (☉+);

= = coelum totum nubibus tectum,

☁ = nubes majori coeli parti indubitas, sive continuae sint, sive disjunctae & quasi pertusae,

= = coelum nubes inter & caeruleum colorem ex aequo divisum,

= = nubes variores, quae minorem coeli partem occupant,

☁ = nubes rarissimas, hinc inde dispersas.

Nubium color, forma & moles initialibus nominum literis exprimuntur. Sic litera

a significat albus,

l luteus,

cin. cinereus,

n niger,

fasc. fasciae (nubes in longas efformatae fascias, quarum directio indicatur),

r ruber,

sp. spissus,

t tenuis,

rup. rupiformis (rupi similis).

Qui speciales de forma & coloribus nubium observationes instituerit, is opus perutile & magni momenti faciet.

X. Etiam extra consuetas observandi horas notantur omnia meteora & phaenomena memoratu digna, cujusmodi sunt pluvia, nix, grando, pruina, nebula, tempestates fulmineae, procellae, aurorae boreales, lux horizontalis, irides, terrae motus, fracturae nubium, columnae aquae, halones, parelii, paraselenae, globi ignei &c. His ea signis distinguuntur:

☁ indicat pluviam,

☁ iridem,

☁ nivem,

☁ halonem lunae,

☁ grandinem,

☁ halonem solis,

☁ pruinae, quae si nebulam constringit, eamque ramis arborum, crinibus &c. affigit, signo huic litera n additur;

☁ -- ☁ parelium,

☁ -- ☁ paraselenen,

☁ nebulam,

☁ tempestatem, sive fulgur & tonitru conjuncta sint, sive alterutrum tantum habeat locum;

AB auroram borealem,

cetera suis quaeque nominibus scribuntur. Sicuti horum meteororum eminens quidam gradus convenerit, id appposito asterisco (\*) designatur. Sic ☁\* pluviam largissimam, ☁\* tempestatem violentam & atrocem significat, & ita porro; & tunc non modo tempus initii sed & finis meteoris annotatur. Apparente meteoris insigni & rariore, v. gr. aurora boreali, vehementer procella &c., etiam altitudo barometri, thermometri & hygrometri, una cum directione venti & declinatione acus magneticae, observatur.

XI. Omnes hae observationes ordinis & commoditatis gratia in tabulas observatoribus una cum instrumentis mittendas referuntur, quarum una singulis mensibus destinata est. His autem & phasēs & variae positiones lunae inscribuntur eo, quod huius astri in atmosphaeram nostram influxus univēse quidem, nondum tamen speciatim pro omnibus casibus & circumstantiis, satis compertus est. Phasēs lunae & loca, in quibus versatur, sequentibus signis exhibentur:

● novilunium,	♋ cancer,
☽ prima quadratura,	♌ leo,
☾ plenilunium,	♍ virgo,
☾ ultima quadratura,	♎ libra,
☾ lunae proximus ad terram accessus,	♏ scorpius,
☾ ejus longissimus a terra digressus,	♐ arcitenens,
♈ aries,	♑ caper,
♉ taurus,	♒ aquarius,
♊ gemini,	♓ pisces.

Hora & minutum, quo luna phasem subit seu faciem mutat, uti & cum in aliud zodiaci signum transit, semper apponitur.

XII. Quaevis tabula in 16 divisa est series descendentes, quarum prima dies mensis stilo gregoriano supputatos exhibet, secunda horas observationis supra nominatas, tertia altitudinem barometri digitis, lineis, & partibus linearum decimis expressam, quarta altitudinem thermometri juxta barometrum suspensi, gradibus reamuriansis & partibus decimis eorundem graduum designatam, quinta altitudinem thermometri libero aëri expositi eodem modo indicatam, sexta gradus eorumque partes decimas, quas mercurius in hygrometro attingit, septima gradus & minuta declinationis acus magneticae, cujus longitudo nota esse debet, octava ventorum plagas & vires, ubi cuique liberum est, nomina nord, süd &c. in tabula prima recensita, & omnibus ferme nationibus communia \*), latinorum loco adhibere, quod & commode & sat distincte fit per solas literas initiales. Quod si ventus superior, ex motu nubium cognoscendus, diversus est, is adjecto asterisco speciatim notatur; nona quantitatem pluviae vel nivis in aquam resolutae, decima quantitatem aquae evaporando in auras dilapsae, undecima altitudinem fluvii praeterlabentis,

duodecima

\*) Ost gallis est, west onest, aliis aliter parvo discrimine audit.

duodecima lunae phasēs & positiones, decima tertia faciem coeli, decima quarta meteora superius enumerata, duae postremae articulis inserviunt observationum quarundam adhuc innominatarum, quas ceteris adicere e re forsitan olim videbitur.

XIII. Quod a dextra tabulae parte vacuum relictum est spatium sat amplum, id destinatum est

- 1) Annotationibus specialibus in coeli statum & meteora,
- 2) Observationibus botanico-meteorologicis (summe exoptatis, cuique tamen liberis), quibus notatur tempus, quo omnis generis arbores, frutices & plantae insigniores libero aëri commissae germinant aut efflorescunt, & fructus maturos ferunt; notatur segetum vinearumque profectus, status messis foeni, frugum, pomorum & leguminum tam ratione qualitatis quam copiae; notantur morbi & insecta, quae detrimentum plantis attulere, & sic porro. His additur tempus, quo aves migrantes, quales sunt cicconiae, cuculi, hirundines, luscinae &c., discessere & redire. Hae observationes prudenti oeconomio rurali committi possunt.
- 3) Designationi morborum, qui homines ac pecudes singulis mensibus infestant, qua in re peritum medicum adiutorem adhibere observator poterit.
- 4) Catalogo annuo, a) natorum tam puerorum quam puellarum, utriusque speciei separatim; b) defunctorum virorum, mulierum, puerorum, puellarum, iterum per species; c) matrimonio junctorum. Hunc catalogum, in quo etiam religionis, si ea in loco varia est, ratio habenda, & cives a militibus & peregrinis secernendi sunt, parochus loci rogatus ministrabit.

XIV. Nunc specimen observationum ex prioribus huius anni diebus in ejusmodi tabulam relatarum subjicimus. Vid. Tab. II.

XV. Factae observationes singulis tribus aut sex mensibus ad societatis perpetuum secretarium Manheimium mittuntur, legato palatino, si quis in loco aut vicinia est, eum in finem tradendae, hic enim necessaria mandata a serenissimo principe Electore hanc in rem accepit. Ubi legatus deest, rhedae publicae aut veredariis committuntur. Latine ut scriptae sint, societas vehementer exoptat. Siquis tamen usum huius linguae non satis expeditum habuerit, nec operis sui interpretem facile repererit, ei liberum est germanico, gallico aut italico sermone uti. At scriptio legibilis & distincta omnibus commendatur.

XVI. Primis quae mittuntur, observationibus brevis adjungitur descriptio loci, in quo observatur, puta an in valle, monte aut planitie sit situs; an mari, flumini, paludibus, monti-

bus, silvis vicinus; an magno intervallo inde disjunctus; quam item habeat latitudinem & longitudinem geographicam. Indicatur quoque, quanta altitudine supra solum domus barometrum, thermometrum & hygrometrum sint suspensa, quantumque hoc ipsum solum supra vicini maris aut fluminis superficiem sit elatum.

XVII. Humanissime rogantur observatores universi, acceptorum instrumentorum testem schedam mature remittant, curamque gerant, ut, posteaquam morte aliave causa ab observando ipsi abstracti fuerint, ea in fidas solertesque manus veniant. Quas ceterum expensas perlatis ad se instrumentis, acceptis datisque literis, aut alia quavis occasione fecerint, eae indicatae a societate refundentur.


XVIII. Observationes ex universis stationibus collectae, integrae, non contractae, in unum corpus quotannis redigentur, & notis illustratae lingua latina, fortasse simul & germanica aut gallica, vulgabuntur. Volumini primo, quod in lucem mittetur, accurata descriptio modi praefigetur, quo instrumenta cum observatoribus subministrata, tum reliqua, quibus societas Manheimii utitur, confecta fuere. Sicubi nova instrumenta meteorologica inventa, [aut vetera perfectiora reddita fuerint, si consilia, si tractationes meteorologiam promoventes aut illustrantes societati mittantur \*), aut aliquo loco prodierint, haec universa una semper inserentur. Observatores singuli, quorum nomina, dignitates & officia typis vulganda rite secum communicari societas rogat, voluminum omnium exemplum gratis accipient.

Datum Manheimii calendis Octobris anno MDCCLXXX,



\*) De lingua, cujus in ejusmodi tractationibus fieri cupimus usum, idem hic, quod supra §. XV, observandum.

Tab. I.



TABULA METEOROLOGICA

Dies.	Hora.	Barom.		Therm. <small>juxta barom. susensum.</small>		Therm. <small>libero aeri expositum.</small>		Hygrom.	Declinat.	Ventus.	Pluvia.	Evap.					
		dig.	lin.	dec.	gr.	dec.	gr.	dec.	gr.	min.	direct.	vires.	part.	lin.	gala	lin.	dec.
1	7 mat.	28.	1.	3	0.	0	-4.	8	37.	0	19.	12	WNW. 1				
	2 pom.	28.	1.	3	0.	4	-1.	3	36.	0		18	NO. 1				
	9 vesp.	28.	1.	3	0.	2	-3.	4	35.	0		20	OSO. 1				
2		28.	0.	2	0.	2	-3.	0	27.	5	19.	15	SSW. 1				
		27.	11.	0	0.	1	-0.	4	34.	5		21	SW. 1			1.	5
		27.	10.	8	0.	2	-3.	8	31.	4		21	WNW. 2				
3		27.	10.	2	1.	0	-1.	5	30.	0	19.	15	SSW. 2				
		27.	9.	3	1.	2	0.	5	28.	1		18	SSO. 2	13		1.	9
		27.	9.	0	1.	2	0.	5	24.	6		18	WSW. 2				
4																	
5																	
6																	
7																	
8																	

PRO MENSE JANUARIO ANNI 1780.

Rhenus.	Luna.	Coeli facies.	Meteora.			Dies.	ANNOTATIONES.
ped. dig.						2	<p>Post meridiem, praesertim circa vespereum, nubes tenues longissimarum instar fasciarum coelo haerebant. Ex plaga notapeliotae velut e centro egressae usque ad coeli medium identidem divergebant; inde continuo convergentes in plaga borozephyri quasi in altero centro coibant. Fasciarum harum complures versus coeli medium multis aliis fasciis angustis &amp; brevibus ad angulos rectos intersecabantur. Omnes hae nubes ante solis occasum albae, post occasum lutae fuerunt.</p>
0. 7	m	= a. t.					
		= a. t.					
		= a. t.					
0. 3	☾ <small>vesp. hor. 10. min. 42.</small>	= a. t.					
		= a. t.					
0. 10	☾ <small>hor. 11 mat. hor. 2 pom.</small>	= =					
		= =					
	☾ <small>mane hor. 9 min. 14.</small>						
	☾ <small>vesp. hor. 5. min. 23.</small>						
	☾ <small>vesp. hor. 9. min. 22.</small>						
	☾						

Membra novae societatis ex gremio academiae scientiarum Theodoro-Palatinae selecti sunt viri sequentes:

Jacobus Hemmer, serenissimi principis Electoris consiliarius ecclesiasticus, facelliaulici Manheimensis Senior & Thesaurarius, Canonicus Heinsbergensis, musaei physici electoralis director, societatis oeconomicae lutrensis membrum, qui & societatis meteorologicae secretarius perpetuus constitutus est;

Christianus Mayer, S. E. P. consiliarius ecclesiasticus, astronomus aulicus, in universitate Heidelbergensi astronomiae Professor, academiae scientiarum Monachiensis, Londinensis & Philadelphicae, societatis teutonicae Manheimensis artiumque Dusseldorpiensis socius.

His socius indigena adjunctus est vir reverendus & eruditus Carolus König, speculae astronomicae electoralis, quae Manheimii est, praefectus secundarius.

Rebus ita constitutis primum palam apparuit societas in academiae scientiarum confessu publico die 21 Octobris 1780 celebrato, in qua Hemmerus in rem praesentem hanc habuit orationem \*).

*Si pretium scientiarum ex voluptate, juxta & utilitate, quas generi humano gignunt, merito aestimetur, multum dubito, an inter omnes ullam reperire sit, quae cum meteorologica quoad praestantiam comparari possit. A primo nativitatis nostrae momento in immensum versi sumus aëris oceanum, ex omni nobis parte circumfusum, in nos aliaque corpora continuo agentem, atque oculis nostris sexcentas quotidie vicissitudines & apparitiones subjicientem. Nunc leni aër omniaque animante calore temperatus est, nunc intolerabili frigore aestive saevit. Modo corpora terrae vi ponderis majore, modo minore premit. Hoc die mire clarus & serenus radios solis liberrime transmittit, alio tristibus involutus est tenebris, vaporum ingenti cumulo eum pervadente, & nubibus, quae montes magnitudine referunt, aut terrae incumbentibus, aut sublimes coeli regiones peragrantibus. Interdum omnes hi vapores sensim & prope sine sensu ex oculis nostris evanescent, modo sub forma pluviae, roris, grandinis nivisve in tellurem decidunt. Nunc per omnem late atmosphaeram summa regnat malacia, paulo post suum aër aequilibrium amittit, & vel leni spiritu per terras fertur, vel vi horrenda e tractu uno in alterum praecipit ita ruit, ut fauces montium vallesque fremant, nutent rupes, ac fluctus maris stridentes spumantesque ad sidera tollantur. Interdum turbulenti hujusmodi venti nihil mali post se trahunt, interdum tristes sunt praenuntii vehementum terrae motuum, qui domos nostras concutiant, findunt, dilacerant,*

*vel*

\* Ex germanico in latinum conversam.

*vel humi adeo sternunt & in rudera convertunt. Alias ne vestigium quidem errantis cujusdam ignis in omni, quod patet, atmosphaera deprehendere licet; alias magna ignium fatuorum copia apparet, exardent in coelo bolides, stellae cadentes ingenti celeritate per aërem rapiuntur, in plaga coeli boreali fasciae lucidae variis coloribus distinctae spectandas se praebent, sinuosa fulgura ingenti cum fragore fulcant aërem, & jam apicem succulentae fagi, jam eminentis tetrum aedificii, jam homines pecudesque percutiunt.*

*Quod si curiosus naturae indagator omnia haec tam varia, tam admiranda phaenomena attente contemplatus fuerit, si singula clare evolvat, eorum directionem, vires, magnitudinem durationemque metiatur, observationes observationibus conferat, veritatem veritati neget, atque ita usque ad primum horum phaenomenorum fontem penetrare elaboret: quot fortissimas illecebras, quantam quamque beatam voluptatem his in occupationibus eum reperire necessum est. Nonne quovis in passu, qui illum profundius in haec mysteria duxerit, mens ejus tota quasi extra terminos suos rapietur?*

*Quam vivus vero hic voluptatis sensus efficietur, quam incredibile incrementum hic torrens jucunditatis tum demum capiet, cum ingentia illa emolumenta, quae manare in genus humanum ex hoc labore possunt, ejus ante oculos se sistent! Quid magis attinere ad hominem in hac vita potest quam nutrimentum & sanitas? Nutrimentum, sine quo subsistere vita nequit; sanitas, sine qua nec suavitatem nec firmitatem haec ipsa vita habet. Cum utroque tempestas, seu aëris terram ambientis varia affectio, arctissime colligata est. Ab omnibus enim corporibus, quae telluris superficies continet, partes quaedam minimae identidem avulsae in atmosphaeram tolluntur. In immenso igitur hoc receptaculo continuo adest ingens copia particularum terrearum, aquearum, oleosarum, salinarum, sulphurearum, electricarum, quae subinde ad terram partim gravitate sua ipsae recidunt, partim ab aliis revehuntur. Hic jam plantae suam partem tum per radices, tum per corticem atque folia sugunt. Alimentum itaque praecipuum, & quo carere minime possunt, ex aëre indipiscuntur. Aër praeterea calore suo eas fovet, & humorum quendam in iis circuitum producit, sine quo nec incrementum nec vitam haberent. Tam circuitum quam exhalationem humorum venti eo, quem efficiunt, motu inprimis juvant. Motus autem plantis non minus quam animalibus utilis ac necessarius est. Quod si jam haec omnia eo, quo convenit, modo, tempore, ordine, justaque mensura & proportione eveniant: exoptatum plantae proventum habent; arva, vineae, prata summa ubertate & copia gaudent. Si vero tempestas inordinata incidat; si venti nocivos vapores, exedentes spiritus &c. plantis advehant; si malignam implicentur in nebulam; si vis immoderata caloris aut frigoris, siccitatis vel humorum eas premat; si terrae motus exitialium venas exhalationum aperiat, aut veteres partium probe nutrientium fontes obstruat; si materies electrica, ignis hic*

omnia penetrans animansque, non abunde satis affluat, & ejusdem generis cetera: tunc vegetabilia tabescunt, corripuntur morbo, aut penitus emoriuntur, & cum iis pari malo afficitur genus humanum. De tempestatis in plantas influxu jam olim constabat; sed omnem hanc cognitionem ideae obscurae & confusae, regulae quaedam generales, praejudiciis & erroribus intertextae, a mancis quibusdam observationibus & experienciis abstractae, a patre ad filium, a progenie ad progeniem velut sacrae & inviolabiles translatae continebant. Equidem ex multo jam tempore naturae scrutatores expurgandis, corrigendis, stabiliendis hisce notionibus magnam operam dedere: sed nulla aetate aut majus in hac re studium aut felicius quam nostra positum fuit, quo tandem factum est, ut Meteorologia ad scientiarum ordinem eluctaretur.)

Tempestatis in valetudinem humanam influxus non minus certus & indubitatus est. Si partem nostri corpoream tantum spectemus: eodem fere cum plantis modo nascimur, nutrimur, crescimus, vivimus & interimus, atque hoc respectu non incongrue plantae ambulantes nominari possemus. Aër itaque sua gravitate & elasticitate, suo calore & frigore aequè in nos ac in istas aget; ignis electrici, quem atmosphaera continet, abundantia inopiave nobis similiter aut novas vires vigoremque addet, aut languorem adferet ac enervationem; venti quoque nobis salubres vel nocivas exhalationes adducent, ac ita porro. Et sane nonne experientia docet, coelum pro vario suo habitu aut alacritatem roburque, aut debilitatem ac marcorem in omnibus membris parere, atque hoc praecipue ingruente tempestate fulminea propter affluentem aut recedentem materiem electricam locum habere; diversis anni temporibus diversos morbos grassari; ad reparandam labefactam valetudinem coeli commutationem multum plerumque conferre; repentinum frigoris in calorem, aut hujus in illud transitum magnae hominum parti exitialem existere; aërem vehiculum esse variolarum aliorumque morborum contagiosorum, imo horum multos ab illo solo gigni, & quae his sunt familia. Eruditi medici, quorum solers ingenium in ea omnia magna cura intentum est, quae artem eorum attinent, optime perspectum habent; quantum ex atmosphaerae affectione hominum pendeat valetudo. Jam olim Hippocrates originem morborum epidemicorum, Thasum insulam depopulantium ab aëre derivavit. Recentioribus temporibus Malouinus, medicus tam doctus quam indefessus, diario suo novenni, in quod praeter aegrotorum suorum statum etiam ipsam aëris constitutionem diligentissime retulit, hanc rem mirifice illustravit.

Ex duplici hoc tempestatis influxu facile quisque intelliget, quantum quamque insigne esse debeat emolumentum, quod ab exacta ejus observatione liceat praestolari. Etenim ubi semel innotuerit, quae aëris affectio plantis aut hominibus hoc illove tempore, in his aliisve circumstantiis, vel utrisque semper secunda aut adversa sit: rationes etiam inveniri poterunt, prospera ejus effecta exoptatam in partem flectendi, atque ea, quae parit, mala aut avertendi aut saltem

dimi-

diminuendi. Inter varias aëris constitutiones unam hic exempli loco adducamus. Nullam esse corporis humani partem, in quam innatantes aëri particulae aquae non agant, res est extra dubium posita. Nervi, muscoli, cartilagineae, membranae & vasa, imo ossa ipsa humores imbunt, & pro ratione copiae eorum statum suum mutant. Diverfarum corporis partium tensio ac remissio cum aëris humoribus augetur minuiturve. Quod si jam humorum siccitatisque vicissitudo in iis, qui recte valet, non leves mutationes efficiat, dubium non est, quin multo fortius ac potentius in aegrotorum statum atque in ea, quae morbos sequuntur mala influat, praesertim, si effectis, quae a debilitata aegroti natura expectantur, obstet. Si itaque gradum humorum, quibus cum interior conclavium nostrorum aër, tum exterior impraegnatus est, fidis instrumentis definire noveris, par eris & medicamento, quod adhibere volueris, qualitati atque vi supputandae, & sexcentis adversis casibus tam in iis, qui integra quam qui incommoda valetudine utuntur, praeventendis. Quod si praestitutae temporis angustiae fuerent: exemplum, quod huc spectat, memoratu multo dignius proferrem. De aëre fixo loquerer, qui a variis corporibus identidem explicatus in atmosphaeram attollitur, quique suam ob aciditatem aliosque ingenitos sibi malignos affectus hominibus brutisque animalibus maxime periculosus, imo ubi magna copia inspiratur, e vestigio lethalis est. Ipsum aërem, quem exspiramus, ipsas exhalationes, quas corpus humanum tam copiose egerit, ad noxium & mortiferum hoc aëris genus magnam partem pertinere monstrarem. Quantam hominum multitudinem hic aër repente modo extinxit, propterea extinxit, quod ejus praesentia ignoraretur, aut tum primum adverteretur, cum perniciosam ejus vim ac pestilentem halitum evadendi tempus non amplius esset. Millies idcirco, o pulcherrima & divina physica, millies nobis salutata esto cum Endiometris & Ventilatoribus tuis, praestantissimis his instrumentis, quorum ope aërem fixum eo in loco, quem adire vel habitare animus est, inquirere, metiri, & expellere licet.

Quamvis institutas hucusque exactiores observationes meteorologicas tam ad agriculturam quam ad valetudinem nostram curandam felicissime modo impenderimus; quamvis bonam viam instemus, ad primos usque fortes vicissitudinum atmosphaerae pertingendi: in utraque tamen parte sat remoti adhuc a meta esse videmur. Hoc aetatis nostrae physici ubique locorum intelligentes suum in observando studium geminarunt. Complures benefici principes hoc studium liberaliter alunt, laboresque indefessorum horum virorum validissime sustentant. Horum e numero est optimus princeps noster Elector, benignus ille praepotensque bonarum artium & scientiarum tutelaris Deus, cujus acies oculorum assequitur, & cujus favor complectitur omnia, quae ad augendas amplificandasque humanas cognitiones conferre quidquam possunt. Quo plus incrementi meteorologia caperet, mandatam serenissimus princeps dedit, ut juxta musaeum electorale physicum aliud meteorologicum institueretur, atque omnibus instrumentis eo pertinentibus

cumulatissime instrueretur, cui summae voluntati ut fieret satis, operam haecenus pro viribus aedi.

Sed medio hoc in studio, in omni hoc rerum apparatu, ad novae hujus scientiae florem facto, semper adhuc obstare videbatur gravissima quaedam & quasi immensa difficultas, cui equidem ingemiscere poterant physici, sed auferendae pares vel conjunctis viribus nunquam fuissent. Noverat videlicet aequus quisque rerum aestimator, in diversis terrae partibus plagisque factas observationes nunquam inter se rite comparari, nec proinde satis usui esse posse, nisi instrumentis correspondentibus seu harmonicis instituerentur. Quam multa vero ad hanc harmoniam requiruntur! Ad eam v. gr. in barometris opus est, ut tubi omnes diligentissime purgentur, omnes paris sint diametri interioris, aequales habeant sphaeras, mercurio aequo puro repleantur, hic eodem in omnibus modo coquantur, scalae pari cura & ad mensuram aequae exactam parentur, & ita porro. In thermometris necesse est, ut praeter accuratissimam tuborum dimensionem & emundationem, praeter perfectissimam mercurii expurgationem aëre omnia evacuentur & hermetice claudantur; necesse est, ut barometris harmonicis ad eandem altitudinem consistentibus punctum aquae bullientis capiatur, hoc enim eatenus tantum fixum & definitum est; at vero fieri nequit, ut barometra omnibus in locis, propter horum situm inaequaliter altum vel profundum, ad eandem stationem unquam perveniant. Ad motum aequabilem in acubus declinatoriis necessum est, ut omnes ejusdem sint longitudinis, ejusdem ponderis, ejusdem vis, & aequi dicitur, ejusdem etiam formae, atque ita de pluribus aliis instrumentis. Quis quae-so sperare jure potuisset, futurum unquam esse, ut totius orbis physici in omnibus his tam variis capitibus, in his tam diversis conditionibus & minutis conspirarent, ut taceam, aequabilitatem puncti bullientis aquae in thermometris nequidem, velut supra ostendimus, ab eorum voluntate pendere. Nil itaque pro praesenti rerum statu ad consequendam instrumentorum harmoniam restabat, quam ut eorum praecipua & maxime necessaria, cura & sub oculis unius cujusdam physici confecta, per omnes terrae partes mitterentur; res magni sane & momenti & pretii, quae magis optanda quam operi dari posse videbatur.

Summo cum gaudio, cumque vividissimo admirationis, reverentiae & grati animi sensu publice hic annuntiare queo, praestantissimum Electorem nostrum grande hoc opus suscepisse, opus inquam, quod terrarum orbem complectitur, quodque solum sufficeret, ad gloriosissimum Caroli Theodori nomen immortalitati tradendum, nisi hanc modo ob tot alias res praeclearissime ordinatas gestasque meruisset. Magnum numerum correspondentium barometrorum, thermometrorum, hygrometrorum & acuum declinatoriarum parari, & inter peritos observatores in omnibus terrae partibus distribui serenissimus hic Musagetes jussit. Factae observationes quotannis colliguntur, & in unum volumen redactae cum orbe literato lingua latina, erudi-

tis

tis omnibus nota, communicantur. Praestanti huic operi ut debitam firmitatem diuturnitatemque tribueret, societatem meteorologicam nuper instituit, pari cum ipsis observationibus locorum spatium diffusam, & junctis viribus in perficienda amplificandaque meteorologia ex praescripto typis jam vulgato adlaboraturam. Quantam lucem atmosphaerae vicissitudinibus, earumque causis tam communibus quam particularibus & localibus, praeclearum hoc institutum brevi tempore affundet!

Juvenilis ignis in venas nostras redi; novam nobis alacritatem, novas vires inde, ut magnum hoc opus ad supremi Numinis gloriam, & eorum salutem, qui humanitate nobis juncti sunt, ex serenissimi fundatoris mente feliciter ac indefesse prosequamur.

Curandum nunc erat, ut ex rescripti electoralis norma seduli peritique observatores ubivis locorum constituerentur, quibus tenella societas & incrementum & robur nancisceretur. Hos academia nostra nullibi certius quam in literatorum virorum coetibus & sodalitiis inventuram se esse facile intelligebat; quamvis non ignoraret, physicos privatos hinc inde existere non paucos, longo usu exercitatos, a quibus magnum expectari praesidium posset; sed horum nemini instrumenta dare per legem a principe conditore latam licebat, jure verente, ne ea post observatoris mortem perirent, ac proinde observationes, quas quovis in loco perpetuas esse cupit, abrumperentur. Itaque literas academia electoralis ad celebriores per Europam scientiarum academias ac studiorum universitates, commodo loco fitas, latino sermone dedit, quibus illas ad novi laboris partem ea, qua par erat, humanitate invitabat. Ad has academias eae spectant, quae sunt

Berolini,	Gottingae,	Leopoli,	Monspeli,	Rupellae,
Bononiae,	Hafniae,	Londini,	Parisiis,	Taurini,
Bruxellis,	Holmiae,	Madriti,	Petropoli,	Ulyssippone.

Invitatae autem universitates, gymnades ac collegia existunt

Budae,	Duffeldorpii,	Franekerae,	Monasterii,	Sagani,
Dublino,	Edinburgi,	Genevae,	Pragae,	Vindobonae.

Litterae ad academias, mutatis nominibus & titulis, hac forma scriptae erant:

Societati



*Societati regiae scientiarum Berolinensi academia electoralis Theodoro-Palatina Felicitatem.*

*A serenissimo principe Electore palatino institutam nuper esse societatem meteorologicam cum academia nostra conjunctam, quae instrumenta harmonica, ad obtinendas observationes inter se rite comparabiles, per omnes terrae partes mittit, ex adjuncto hisce literis Monito, Viri optimi, perspicietis.*

*Facit & magnitudo coepti operis & ejus cum publica utilitate artissima conjunctio, ut opem in eo nobis & suppetias vehementer optemus. Unde has fidentius petere, unde securius expectare nobis fas est, quam a clarissimis academiis, quae scientias hucusque singulari studio & laude felicissime excoluerunt? Eas inter cum vestra, Viri praestantissimi, locum e principibus unum facile obtineat, ad laboris nostri societatem humanissime vos invitare audemus, spe certa ducti, fore, ut eam admittere, & institutum hoc per regias ditiones propagare non recusetis, quo facto & universi orbis literati potis vos responsuros, & ingentem cumulum gloriae vestrae accessurum esse arbitramur.*

*De benigna hac voluntate vestra cum primum certiores nos feceritis, ea, quae serenissimi Electoris jussu distribuuntur, instrumenta una cum brevi ejus modi, quo confecta sunt, descriptione vobis mittemus, ut, si ita vobis visum fuerit, alia ad hoc exemplum paranda ac delectis locis collocanda curare possitis; de instrumentorum enim harmonica pro instituti nostri ratione potissimum agitur. An collectas inde observationes singulari opere ipsi quotannis edere, aut communicare nobiscum velitis, ut una cum nostris in lucem prodeant, hoc sapientiae & arbitrio vestro relinquimus.*

*Ut vero, quae instrumentis nostris Berolini institutae fuerint, observationes annuatim nobis mittantur, id enixe rogamus. His siquae aliae, de quibus in Monito (§. 5. 9. 10. 13) sermo est, adjungerentur, res fieret nobis multo gratissima.*

*Valete, & quod magnopere rogamus, nobis summa vos observantia colentibus brevi rescribite. Deditur Manheimii XIX Calendas Februarii 1781.*

*Eodem fere modo exaratae erant literae, quas academia ad universitates dedit. En illarum exemplum:*

*Celeberrimae studiorum universitati Budensi academia electoralis Theodoro-Palatina Felicitatem.*

*A serenissimo principe Electore palatino institutam nuper esse societatem meteorologicam,*  
cum

*cum academia nostra conjunctam, quae instrumenta harmonica ad obtinendas observationes inter se rite comparabiles per omnes terrae partes mittit, ex adjuncto hisce literis Monito, Viri optimi, perspicietis.*

*Instrumenta haec academiis, collegiis, aliisque doctorum virorum coetibus committi posse quam maxime optamus eo, quod hic & tuta illa esse & peritas inter manus perpetuo versatura persuasum habeamus. Urbs Budensis inter alias commodo loco ad observationes sita esse nobis videtur, quae res facit, ut laboris nostri consortes & participes vos habere magnopere desideremus. Singulare illud studium, quo scientias excolitis, sperare nos jubet, futurum esse, ut in re ad publicam utilitatem unice spectante votis nostris respondeatis.*

*De benigna hac voluntate vestra ut primum certiores nos feceritis, barometrum, thermometrum & hygrometrum mittemus, acum etiam declinatoriam addituri, ubi eam vos cupere significaveritis: hoc enim non levis pretii instrumentum nemini nisi diserte petenti mittere statuimus, verentes, ne loci ei collocando idonei defectus, aut aliud quidquam apud multos inutile rederet.*

*Ceterum non omnes & singulas, de quibus in monito agitur, observationes, sed illas tantum ab observatoribus postulamus, ad quas instrumenta a nobis accipient, reliquas etiam summe exoptemus, eas tamen studio cujusvis & arbitrio relinquimus.*

*Valete, & quod magnopere rogamus, nobis summa vos observantia colentibus brevi rescribite.*

*Deditur Manheimii XIX Calendas Februarii 1781.*

*Non omnes hae ac superiores literae uno eodemque tempore datae fuere, quare, quae accepimus responsa, tantis temporum intervallis inter se disjuncta esse nemo mirabitur. Exigit rei dignitas & ordo, ut haec ipsa responsa nunc exhibeamus. Praemittemus academica, ab universitatibus data subjuncturi. In utrisque non rationem temporis, sed ordinem positorum supra nominum servabimus.*

*Responsum Academiae Regiae scientiarum Berolinensis.*

*Academiae Electorali Theodoro-Palatinae Academia Regiae Scientiarum Berolinensis*

*S. P. D\*).*

*Litterae jucundissimae a vobis XIX Calendas Februarii datae in conventu nostro XII Calend. Martii exhibitae & perlectae fuerunt. Eas attentione dignissimas judicavimus; & postquam*

*D intra*

*\*) Hanc salutationem in sequentibus Respondis brevitatis gratia omitemus,*

intra octiduum Membra classis tum physicae tum mathematicae de illis deliberaverunt, in Conventu sequenti VIII Calend. Martii secretario perpetuo mandavimus, ut Vobis rescriberet, & gratum animum nostrum testaretur, quod nos consiliorum vestrorum de observationibus meteorologicis promovendis ac perficiendis ope instrumentorum a vobis inventorum, participes reddere volueritis. Si ergo libuerit, haec instrumenta, quam primum fieri poterit, nobis transmittere, hanc occasionem libentissime accipiemus, in societatem vestrorum laborum veniendi, & quae a nobis praestabuntur, vobiscum communicandi. De modo vero observationes publicandi, vel conjunctim, vel separatim, postea erit statuendum. Sufficit, nos annuatim, ut requiritis, rationem rerum intra hoc spatium praestitarum vobis reddituros. Sic & Regis nostri potentissimi, & Electoris vestri serenissimi, Protectorum nostrorum clementissimorum, protectione ac beneficiis nos magis atque magis dignos ostendemus. Quibus coeptis Deus O. M. favere velit.

Interim valete & porro favete. Dabam Berolini VI Calend. Martii 1781.

Formey,  
Consiliarius Regis intimus, Reg.  
scient. acad. secret. perp.

#### Responsum Instituti scientiarum Bononiensis.

Non ante diem VII Idus Martios vestrae, Viri praeclarissimi, allatae nobis sunt jucundissimae, nobisque perhonorificae literae XIX Cal. Febr. datae; quae in conventu academico, qui heri habitus est, perlectae mira nos voluptate affecerunt, cum gratissimum nobis fuerit, de vestra cum praeclara institutione, tum egregia in nos voluntate ex iis intelligere. Quare nihil nobis antiquius est, quam nostrum in Vos gratum animum statim significare, simulque nostram vobis operam, quantulacumque erit, polliceri. Itaque non dubitamus Vos rogare, ut instrumenta, quibus observationes instituendae sunt, quamprimum nobis mittatis, quae simul ac ad nos pervenerint, tradentur academico illi, quem interea e toto numero deligemus maxime ad id; quod quaeritur, perficiendum iudicio nostro aptum. Is porro observationes a se factas quotannis vobiscum, ut par est, diligentissime communicabit. Sed quod ad similes observatores in variis pontificiae ditionis partibus constituendos attinet, non licet nobis in praesentia quidquam decernere, praesertim cum academia nostra, quae praeter studia nullam rerum administrationem habet, non possit instrumenta iis, quae mittentur, similia faciendae curare, debeatque omnino hac de re senatorum Instituti praefectorum mentem ante cognoscere. Quamobrem petimus, ut per Vos liceat nobis ea super re consilium nostrum tum ad Vos perscribere, cum de acceptis instrumentis certiores Vos faciemus. Pro certo habetote, quidquid vestra causa, Viri praestantissimi, facere poterimus, id nos libentissimo semper animo suscepturos. Hanc erga celeberrimam

vestram.

vestram de literis, deque communi utilitate meritissimam academiam studii nostri, nostraeque observantiae sinceram significationem ut benigne excipiatis, vehementer optamus. Vobis & literarum commodo quam diutissime valete. Dat. Bononiae XVII Cal. April. Anno MDCCCLXXXI.

Sebastianus Canterzanus a secretis

#### Responsum academiae scientiarum caesareae Bruxellensis.

Propositum vestrum, Viri clarissimi, XIX Calendas Februarii nobis significatum, non possumus quin ore pleno laudemus, quum & tantis viris dignum, & notitiae rerum diu desideratarum summopere profuturum videatur. Profecto ad communem utilitatem aliquid conferre pro viribus nitentur; quaecumque vestro ritu a sociis nostris observata fuerint, Vobis suo tempore dabimus; atque alios viros hujus rei peritos hac in regione, ut pari voluntate ad eundem modum paribusque instrumentis observent, ac reperta nobiscum communicent, invitare non desinemus. Attamen haud silentium arbitramur, nos in praesenti rerum statu quodammodo vereri, ut cujuscumque generis observationes a nobis fieri possint; deest enim hucusque locus ad observandum aptus, speculatoria turris, unde motus siderum investigaretur, deest & multa suppellex ad res meteorologicas requisita. Quare ad universa, quae a Vobis, Viri clarissimi, peti possent, nos obligare non audeamus, ea tantum praestituri, quae hujusmodi adjumentis non indigent, donec aliquando haec adepti, quibus procurandis forte non amplius longa mora afferetur, majores vobis suppetias praebeamus. His igitur perpensis, si placet ea instrumenta ad nos mittere, quae Monitum vestrum recenset, nonnulli ex nostris sociis, & horum instinctu alii accurati observatoris munere libenti animo fungentur.

Valete, Viri praestantissimi, & literis doctrinisque naturalibus, ut facitis, prodesse pergite.  
Bruxellis IX Cal. Aprilis 1781.

J. Des Roches.

#### Responsum societatis scientiarum regiae Gottingensis.

Quae humanissimis vestris literis remunctata nobis sunt de instituta a serenissimo principe Electore palatino societate meteorologica, ea magna cum voluptate audivimus, Vobisque, Viri doctissimi, tam praeclarum principalis munificentiae documentum gratulamur.

Cum summa essemus omnes alacritate & voluntate paratissima, uti aliis in rebus studium vobis nostrum declarandi, ita conatus potissimum hos praeclaros pro virili juvandi: multum diuque deliberatum est, qua tandem via ac ratione efficere possemus id, quod summopere cupiebamus.

Ex societate quidem, classe saltem physica & mathematica, nemo est, qui per numeris, quod sustinet, rationes curasque alias & negotia, quibus onerati oppressique sumus ad unum omnes, observationibus, quales praescribuntur, assidue & religiose satis vacare possit: alie-

D 2

nuna

num autem ab ingenio honestorum virorum pudore esse arbitramur, polliceri ac recipere curam, qua quis jam ab initio praevidet rite se nunquam esse defuncturum.

Quod tamen per temporum rerumque nostrarum conditionem facere licuit, perfecimus, ut prospiceremus diligenter, quo esset, cujus opera hoc idem, quod cupitis, efficeretur. Est ex sodalibus Gatterer, historiarum professor, studiis geographicis clarissimus, idemque a multis jam annis in studiis meteorologicis versatus, a principiis progressus, quae Vobis ex commentatione ejus de anno meteorologico non ignota esse possunt; jam viri hujus praestantissimi filius est Ch. Wilh. Jacobus, qui scriptis aliquot ad historiam animantium spectantibus doctrinam suam & industriam viris harum rerum intelligentibus probavit, idemque parentis exemplo, institutione & usu peritiam hujus generis observandi haud exiguam consecutus est, & majorem facile consequetur.

Hujus igitur viri juvenis doctissimi studium & paratam voluntatem si probaveritis, ejus nomine postulata ad vos offerimus haec:

1) Ut mittantur ad eum barometrum, thermometrum, hygrometrum, acus declinatoria, & si fieri possit, inclinatoria: reliqua instrumenta a parente, qui filii curas ac studia reget & moderabitur, suppeditabuntur.

2) Curabitur autem a Vobis, si modo cum Januario observationum fieri debet initium, ut instrumenta illa mittantur sine mora sive ad parentem sive ad filium: mittentur ab eo literae, quibus instrumenta accepta & voluntatem suam declarabit.

3) Idem mittet ad vos observationes factas praefinito tempore.

Ceterum viros doctos per has terras, quotquot hac de re compellare licebit, de consiliis Vestris faciemus certiores: nec dum tamen habemus, quod aut sperare ipsi, aut promittere possimus. Fortunet Deus O. M. prosperetque conatus vestros, salutaesque eos ac proficuos literis, Vobisque gloriosos esse jubeat.

D. Gottingae d. 10 Dec. 1781.

Abraham Gotthelf Kaestner,  
Soc. R. Sc. p. t. Director.

Chr. G. Heyne,  
pro Secret.

Placuit postea Regiae scientiarum Academiae polliceri, se instrumenta, quae ad Cl. Gatterer juniorem misimus, esse praestitutam.

### Responsum regiae societatis Scientiarum Hafniensis.

Novum studii eximii, quo bonas artes prosequimini, documentum in humanissimis, quas nobis

bis

bis scripsistis, literis dedistis. Certiores nunc facti de utili ac egregia, quam in Meteorologia promovenda ponitis, opera & cura, nostrarum esse partium ducimus, Vobis, Viri clarissimi, vestroque utilissimo instituto meteorologico, omnimodam, quantum quidem in nobis est, opem ferre.

Meteorologicae observationes per viginti, & quod excurrit, annorum spatium in observatorio Regio Hafniensi factae sunt & etiamnum sunt. Verum recte & egregie monuistis, congruentem instrumentorum harmoniam hac in re maxime esse momenti. Proinde instrumenta meteorologica, quae nobis mittere promisistis, grate accipiemus, acceptaque trademus sodali nostro Thomae Bugge, Astronomiae & mathematicum professori P. O, qui ea in observatorio Regio Hafniensi, optimis jam instrumentis instructo, ejusque curae demandato, convenienter collocare non gravabitur. Noster ille Bugge non solum observationum, quas exoptatis, faciendarum laborem in se suscipiet, sed factas etiam quotannis statis temporibus cum illustri vestra academia communicabit. Nos autem id agemus, ut pro re nata in variis hujus regni provinciis similes similibus & congruis instrumentis observationes instituantur, ita votis vestris aequissimis satisfactum iri remur.

Dabamus Hafniae pridie cal. Maji MDCCLXXXI.

Christ. Frid. Jacobi.

Luxdorph.

### Responsum Academiae scientiarum regiae Holmiensis.

Per literas academiae Electoralis palatinae, mense Februario hujus anni datas, cognovit academia regia scientiarum Stockholmensis, insituisse nuper serenissimum principem Electorem palatinum peculiarem societatem, cum academia Electorali conjunctam, cujus praecipuum erit studium, observationes meteorologicas facere & ubique terrarum habitas colligere atque inter se comparare. In hunc finem, academia Electoralis constituit, ad varias terrae partes mittere idonea instrumenta harmonica, cum Monito continente descriptionem instrumentorum & formam, qua desideratae observationes notari debent, ut fiant inter se rite comparabiles. In iisdem literis academia Electoralis amice invitat academiam R. Stockholmensis ad instituti hujus societatem, & optat, velit academia regia curare, ut habeantur ejusmodi observationes meteorologicae correspondentes quotidianae alicubi in Suecia, & quotannis vel saepius communicentur cum societate Meteorologica Manheimensi.

Academia R. Stockholmensis magna cum voluptate percepit novae hujus societatis meteorologicae institutionem, utpote probe gnara, non nisi per bonas observationes meteorologicas correspondentes, in diversis per orbem, praecipue per Europam, locis habitas & quam diutissime continuatas, spem allucere obtinendae aliquando certioris cognitionis meteororum & variationum, in atmosphaera nostra quotidie contingentium, a qua cognitione tam multa, non tantum

D 3

in

in rebus physicis, sed & in oeconomicis & in vita communi, pendent. Ideoque academia regia tabentissime societati Electorali meteorologicae suam in hac re promittit operam.

Fam a multis annis habitae sunt, & habentur adhuc quotidie observationes meteorologicae in diversis Sueciae locis, praecipue Stockholmiae, Upsaliae, Lundis Scanorum, Aboae & Tornae, sub ipso fere circulo polari; nam in amplissimo hoc regno diversitas climatum plures & sparsos requirit observatores. Instrumentis omnes sunt instructi bonis, praesertim barometris & thermometris, inter se & cum alibi usitatis, comparabilibus. Utile tamen & gratum foret academiae regiae, si academiae Electorali placeret, unum saltem cujusque generis instrumentum huc quantocius mittere, ut ea cum nostris comparare queamus, videamusque, an nostrorum mensurae in vestrorum, & vicissim, certe & facile reduci possint. Sin minus, academia regia, suis sumptibus alia instrumenta, ad Palatinorum normam, haec fabricari faciet, eaque inter idoneos observatores suos distribuet, & omni modo studebit, desiderii illustrissimae academiae palatinae pro viribus satisfacere, atque ad alia officia paratissimam se futuram spondet. Cum expedito simplici instrumentorum apparatu gratum quoque foret academiae regiae, accipere quaedam exemplaria Moniti impressi, quod suppeditat formulam diarii meteorologici.

Valete, Viri aestimatisissimi, & nobis summa Vos observantia colentibus favete. Deditur Stockholmiae idibus Maji 1781.

Petr. Wargentini,  
R. acad. Stockh. Secret.

L. B. de Sparre,  
h. t. Praeses.

### Responsum regiae Academiae scientiarum Parisiensis \*).

Viri praestantissimi.

Academia scientiarum grato animo accepit promptum, quod obtulistis, studium vestrum, observationes meteorologicas communiter cum illa curandi, & instrumentorum, quibus utimini, exempla ei mittendi.

In mandatis academia mihi dedit, vobis ut significarem, se quoque exempla ejusdem generis instrumentorum, quae paranda curavit, ad vos esse missuram. Omnem illa utilitatem perspexit, quam commercium cum societate vestrae simili adferre ad profectum scientiae potest, in incunabilis adhuc haerentis, sed multa nobis arcana olim aperturae, & malorum vim ingentem a nobis propulsatura.

Quam

\*) Ex gallico traductum.

Quam mittetis capsam instrumenta continentem, illustrissimo Ameloto, sanctioris consilii commentariensi, inscribatis oro, adjuncta altera inscriptione ad Academiam spectante, nisi forte comes de Sickingen, serenissimi Electoris palatini apud Regem Galliae legatus, huc brevi rediturus, ejus curam suscipere velit. Hujus viri in scientias amor, quae multas ei res novas easque pulcherrimas in platina detectas debent, dubitare me non fuit, quin hanc illis operam cum voluptate praestet.

Sinite precor, Viri praestantissimi, de mea in vos observantia ut certos vos reddam.

Marchio de Condorcet,  
Acad. scient. secretarius perpetuus.

In his literis & locus & dies desiderabantur. Ex nomine subscripto apparebat, unde essent, & ex tempore, quo adlatas sunt, conjici poterat, eas mense Aprili anni 1781 fuisse exaratas.

### Responsum Academiae scientiarum imperialis Petropolitanae.

Vix famam instituti nostri meteorologici celeberrima haec Academia acceperat, illico consilium, quod ei gloriae immortalis vertit, sponte sua cepit, operis subeundi partem, instrumenta nostra acceptandi, ac alia similia per omnes rufficas ditiones distribuendi. Haec cum clarissimus Eulerus, academiae imperialis secretarius perpetuus, Astronomo electorali Mayero literis significasset, epistolam societas nostra, quam ad dictam Academiam invitandam jam paratam habebat, immutavit, invitationi gratias, quas debuit, maximas pro benevolentia substituit, ac instrumenta misit. Praeclarum hoc consilium, quo illustrissima Academia imperialis nos praevertit, responsi loco ad literas haberi potest, quibus eam invitaturi eramus.

### Responsum Academiae Regiae scientiarum Rupellensis.

Fam ad aures nostras pervenerat, quam bene de scientiis mereretur serenissimus princeps Elector palatinus, & hoc nobis & omnibus scientias excolentibus pergratum, quod Vos, tam studiosos & felices naturae indagatores, munificentiae suae, Viri optimi, dispensatores habeat.

Votis vestris grato & alacri animo respondentes laboris vestri consortibus adnumerari magnopere desideramus. Observationum meteorologicarum utilitas omnibus innotescit, maxime, si instrumentorum harmonicorum ope inter se comparabiles fiant. Hujusce generis observationibus intentus harum tabulas unus e nobis aliquot abhinc annis assidue redigit. Barometrum, hygrometrum, thermometrum, acum etiam declinatoriam libenter accipiemus. Hujusce  
acus

acus phaenomena in ora maritima praecipue observanda sunt, & hoc instrumentum, in urbe nostra, omnium manibus continuo versatur.

Optandum esset, Viri academici, ut circa Aequinoctium caputae observationes possent inchoari, quod tamen, prae locorum distantia & itinerum ambagibus & impedimentis, perdifficile nobis videtur. Infra scripto academiae secretario perpetuo thecam mittere velitis.

Valete, & nos vobis in perpetuum addictos credite. Dedimus Rupellae VI Calendas Martias 1781.

Lavillemarais,

de Gasco.

Seignette, Secret. perp.

### Responsum Academiae scientiarum regiae Taurinensis \*).

Cum Academia nostra tempora praestituta non habeat, conventus suos publicos celebrandi, in quibus negotiorum, consensum majoris sociorum partis pro gravitate sua exigentium, ratio reddi solet, differre in hunc usque diem coactus fui & relationem meam & illius Responsum ad honorificam invitationem, qua mense hujus anni Februario ab illustri Academia vestra decorata fuit.

Quo tempore illa gloriosas mihi partes imposuit, suo nomine respondendi, & Vobis, Viri clarissimi, gratias de existimatione agendi, cujus illi significationem dedistis, cum eam oblati instrumentis, quae Academia vestra augusti principis sui jussu distribuere solet, ad partem emolumentorum invitaretis, quae ex observationibus meteorologicis, diversis in regionibus institutis, emergent, simul vobis animi dolorem declarare me jussit, quo afficitur, quod societatem & munus observationum, quas expetitis, acceptare haud possit.

Provinciae, quam administrare oporteret, ea est amplitudo, ut per rerum copiam, quae Academiae sodales quotidie occupatos tenent, eam nullo modo suscipere queat.

Haec rerum adjuncta mutata videre sincere desiderat, quo gravia & sapientia consilio vestra juvandi libertatem nanciscatur; nec dubitetis velim de sollicita promptitudine, qua haec vobis impertietur, ut unanimis hujus sui in vos sensus certam vobis faciat fidem.

Quod me praecipue attinet, nihil magnitudine ad eam observantiam & venerationem accedit, qua vos prosequor, totus vester

Augustae Taurinorum die 23 Octobris

1781.

De Saluces.

Praeteri-

\*) Ex lingua gallica versum,

Praeterire silentio hoc loco non possum, illustrissimum comitem de Saluces, omni, quo potuit, studio post haec adlaborasse, ut, quae instrumenta acceptare Academia nondum potuit, ea interim in alius cujusdam praeclari observatoris manus in urbe taurina venirent. Eum in finem literis 7 die Decembris ejusdem anni ad me datis virum proposuit doctrina physica egregie instructum, & in observanda natura solertissimum, Dominicum Beraud, qui & ipse operam suam per literas aliquoties modo nobis detulerat. Sed lex principis, quam supra (pag. 23) adduximus, ad hanc sententiam accedere nos prohibuit.

Nunc responsa, quae academia nostra a diversis universitatibus & collegiis accepit, in medium proferemus.

### Responsum Regiae Universitatis Budensis.

Celeberrimae Academiae Electorali scientiarum Palatinae Regiae Budensis studiorum universitas felicitatem.

Quantum serenissimo Electori Vestro res omnis publica literaria sit obscurata, loquuntur vel eruditissimi Vestri commentarii, quibus eandem in dies illustrare pergitis. Hoc tamen consilium, quod nuperrime sapienter arripuistis, quemadmodum Vobis solis proprium, ita illi cumprimis gloriosum, non aetatem modo praesentem, sed totam retro posteritatem majorem in modum obligabit. Quod enim cultioris Europae nationibus jam pridem tantopere in votis fuit, Vestri denique principis auspiciis, & munificentiae, Vestris, clarissimi Viri, consiliis seri quoque nepotes in acceptis ferent. Quod vero nos etiam in laboris pulcherrimi societatem literis humanitate plenissimis invitare volueritis, non potuit nobis non accidere jucundissimum, quibus neque voluntas, neque opportunitas deest, observationibus meteorologicis instituendis. Quare primum quidem pro singulari hac Vestra erga nos benevolentia gratias maximas referimus; deinde magnopere oramus, ut instrumenta Vestra harmonica, una cum acu declinatoria ad nos quantocytus transmittatis. Omnem impendemus operam, ut eorum usum e Vestra sententia faciamus. Interea Vestrae nos amicitiae, ac sicubi res vel tempora tulerint, commercio quoque ulteriori enixe commendamus.

Dedimus ex consensu Senatus Regii universitatis Budensis Calendis Aprilibus Anno MDCCCLXXXI celebrato.

Adamus Archiepiscopus Colorensis, Senatus  
Regii universitatis Budensis Praefes.

Franciscus Schauer,  
Regii senatus U. B. Secretarius.

E

Respon-

## Responsum Gymnasii Duffeldorpiensis.

*Illustri scientiarum Academiae Electorali Palatinae felicitatem & salutem  
Gymnasii Electoralis Duffelana.*

Quod literis, mense Februario ad nos destinatis, responsoriae hucusque exaratae non fuerint, summo nobis est taedio. Accidit id non oblivione officii, sed quod traditae illae fuerint ab excellentissimo D. Cancellario cuidam e nostris, qui iis vix acceptis gravi ac pertinaci morbo correptus necdum plane convaleuit. Quid mirum, acutos inter dolores omnem illarum evanuisse memoriam? Perbelle idcirco cecidit, refricatam eandem esse literis, quas nuperrime legendas nobis tradidit perillustris D. Procancellarius de Knapp. Novit is optime, excusationem nostram minime inanem esse.

Gratissimum interim nobis erit, si barometrum, thermometrum, hygrometrum, & acus declinatoria ad nos destinentur: non est enim, cur loci idonei defectum apud nos timeatis.

In observationibus ad eum omnino modum, quem praescribere placuit, instituendis & adnotandis toti erimus, nec commitemus, ut hoc in genere nostra desideretis officia.

Valete, & taciturnitatem tam diuturnam nolite vitio vertere. Dedimus Duffeldorpii X Calendas Decembris 1781.

*Mathias Phennings,  
Congregationis Vicepraefes,*

Ut statio meteorologica hac in urbe e sententia nostra erigeretur, multum operae dedit illustris baro de Beveren, ducatum juliacensis & montensis consiliarius intimus, ac summae appellationum curiae Vicepraefes, leonis palatini eques &c.

## Responsum universitatis Franekeranae.

*Celeberrimae Academiae scientiarum Theodoro-Palatinae S. D. Universitas  
Franekerana.*

Academiae vestrae fama jam aliquamdiu apud nos percrebuit, & ex animo physices cultoribus de hoc praeclaro instituto gratulabamur, cum jam enata sit spes, physicos ejus ope ex observationibus meteorologicis, hucusque ubique dispersis & solitariis jacentibus, ast nunc vestra opera in unum corpus collectis & rite inter se collatis, liberrimum nunc percepturos fructum, quem hucusque frustra desiderarunt. Nulli itaque dubitamus, quin omnes, qui hoc studiorum genere delectantur, laborum vestrorum consortes & participes esse desiderent. Nobis vero nihil utique gratius, nil magis honorificum contingere potuit, quam benevolam, quod de nobis, de Acade-

mia

mia nostra tulistis iudicium, quo nos dignos habuistis, qui vestris laboribus aliquod emolumentum conferre possemus. Maxime autem optarem, ut continuo vestris desideriis annuere possemus; verum circumstantiae quaedam minus felices vota nostra irrita reddunt. Facile enim percipietis, instituendarum observationum curam viro cuidam harum rerum gnaro committendam esse, adeoque vix alium a nobis ad hanc rem eligi potuisse, praeter physices in Academia nostra professorem clar. van Swinden, virum vobis forte haud penitus incognitum, & quem eo libentius ad hanc rem elegissemus, quod ipse per undecim continuos annos easdem illas, quas desideratis, observationes instituit. Verum vir celeb. inde ab aliquo tempore tam adversa valetudine confectus est, ut propriae salutis ratio ab ipso exigat, ut suas observationes, quas innumeras fere instituebat, & multis modis inter se conferebat, maxime minuatur, & aliquamdiu a gravioribus studiis se abtineat. Qua de causa, cum ipsum de vestris desideriis consuluerimus, nobis declaravit, paratorem se neminem esse, aut inveniri posse, qui votis vestris satisfaceret, modo sibi per valetudinem liceret; se vero valetudinis suae perspecta praesenti debilitate se ipsum nunc Academiae nostrae nomine obligare non posse ad observationes perpetuas instituendas, nisi adjutor quidam inveniretur, qui, se aegro aut absente, observationum curam susciperet. Caeterum se libenter operam suam, qualiscunque etiam sit, vobis oblaturum, seque ea de re, quantocyus per valetudinem sibi licebit, ad celeb. Abbatem Hemmer, Academiae vestrae, ni fallimur, secretarium, scripturum, ut ipsi iudicare queatis, quousque, quae vobis proponet, vobis arridebunt, & desideriis vestris satisfacient. Dolemus maximopere, nos nunc melius votis vestris annuere non posse. Sed meliora tempora speramus, quae simul ac adfuerint, nos paratissimos invenietis, qui laboribus vestris, praeclarissimis & utilissimis, succurremus. Caeterum de omnibus, quae desideratas observationes spectant, uberius vobiscum aget memoratus noster collega clar. van Swinden, cui hanc provinciam commisimus.

Valete, Viri celeberrimi, nobisque celebritatis vestrae cultoribus & admiratoribus perpetuis favere pergite. Dedimus Franekeruae d. IV Januarii MDCCLXXXII.

*Hermann Cannegreter,  
h. t. Acad. R.*

*A. Alma,  
Acad. Fris. a Secretis.*

## Responsum societatis artium Genevensis \*).

*Vir clarissime.*

Non habemus Genevae universitatem proprie dictam, sed genus gymnasii seu universitatis non omnes numeros habentis. Regimen educationis publicae partim corpori professorum, quod academiam genevensis admodum improprie nominamus, partim corpori ecclesiastico, partim consilio status est demandatum. Cum horum corporum nullum inquisitionibus physicis det operam, ac insuper scitu difficile futurum fuisset, quod eorum responsum ad invitationem Academiae Manheimensis suscipere aut posset aut deberet, convenientius visum est societati artium, haec in urbe ex aliquot jam annis instituta, hujus rei curam ut ipsa subiret.

Haec societas in artes utiles ac physicam incumbit, & qui in urbe nostra versatissimi in his studiis sunt, ejus membra existunt. Delegatorum hujus societatis, curae artium praefectorum, praeses ego sum, atque hoc mihi nomine impositum fuit munus respondendi epistolae, qua erudita societas vestra urbem nostram cohonestavit.

Itaque ad eas literas me refero, quibus superiore mense novembri ad invitationem rescripsi, eo fine a te, Vir clarissime, ad me ipsum missam, ut observationum meteorologicarum curam susciperem, iis correspondentium, quas illustris Academia vestra instituit. Clarissimus Senebier aut quisvis alius, quem designare vobis placuerit, observationes faciet, societas vero artium, quae in urbe nostra est, instrumenta recipiet & praestabit.

Dedi Genevae 12 Januarii 1782.

Tui reverentissimus de Saussure, philosophiae professor, & Delegatorum Societatis artium praeses.

## Responsum universitatis Pragensis.

Celeberrimae Electorali palatinae scientiarum Academiae universitas Pragensis felicitatem.

Societatem meteorologicam a serenissimo Principe Electore Palatino optimo sane consilio institutam esse gaudentes accepimus propterea, quod ab inclyta societate hac insignem prorsus utilitatem emanaturam non tam speramus, quam certi sumus; modo (quod Vobiscum optamus ardentissime) observationibus meteorologicis, ubivis locorum instituendis, suam velint assidue commodare operam, qui commodare possunt. Nobis sane, laboris Vestri consortes atque partici-

pes

\*) Haec loco universitatis, quam invitaveramus, secretario societatis meteorologicae lingua gallica respondit.

pes fieri, nostraque opera ad boni publici accessionem conferre aliquid, tanto jucundius accidet, quanto omnibus aequis rerum arbitris intolerabilior videri debet neglectus atque incuria observationum utilissimarum.

Magno etiam in pretio habemus benevolentiam Vestram singularem, qua, datis ad nos humanissimis literis (quas ante 30 Aprilis non obtinuimus), instrumenta meteorologica, cum acu declinatoria, universitati nostrae liberalissime obtulistis, quae quidem libentissime & cum tenerrima grati animi significatione excipiemus ita, ut curemus simul sollicite, ne quid in iis, quibus observationes istas demandabimus, ad summam accuratorem, & in observando assiduitatem, unquam desideretur. Valet.

Dabamus Pragae Bohemorum V Nonas Maji MDCCCLXXXI.

Franciscus Comes de Wiesznik.

Wenceslaus liber Baro de Wolmuth.

P. Cosmas Schmalpus,  
Facult. Theologicae Pro-Director & Pro-Praeses.

Franc. Eques de Bieschin,  
Facult. Juridicae Praeses & Director.

Guil. Lib. Baro Mainewic  
& Relle ab Aghrim,  
Facultat. Med. Praeses & Director.

Carolus Henricus Seibt,  
Philos. Theoret. & practicae,  
nec non studii historiae universalis & literariae, Gymnasiorumque Praeses & Director.

Joannes Tessanek,  
Facultatis Philosophicae quoad Physicam & Matheſin Caesareo-Regius Praeses ac Director, sublimioris Matheſeos Prof. R. P. ac O; nec non inclytæ Lipsiensis scientiarum Societatis Membrum honorarium.

Franciscus Glöser,  
Studiorum commissionis Actuarius.

Responsum abbatiae Saganensis \*).

*Inclitae societati meteorologicae Palatinae, quae Manheimii est, Benedictus  
Abbas Saganensis omne Bonum.*

*Gratias ago pro facta invitatione Canoniae nostrae ad observationes meteorologicas. Ex  
adjunctis literis reverendi D. Preuss, canonici regularis in Sagan, perspicietis, quid ab hoc  
observatore desiderari & sperari possit.*

*Valete, & me meosque vestris favoribus commendatos habete.*

*Dabam Sagani XV Calendas Aprilis 1781.*

Humanissimis literis suis, ad societatis secretarium datis, clarissimus Preuss & con-  
suetam sibi rationem observandi exposuit, & instrumenta, quibus haecenus usus est,  
descripsit, & nostra se volentem lubentemque accepturum esse declaravit.

Plura alia virorum literatorum collegia non ab integro senatu nostro academico, ut  
superiora ista, sed data opportunitate a variis ejus membris aliisque amicis invitata fue-  
re. Et de his jam breviter differendum.

Cum Societas nostra in monte S. Gotthardi, ubi Capucini hospitium habent,  
ob loci cum altitudinem tum situm stationem meteorologicam magnopere desideraret,  
consiliarius status intimus & Academiae Electoralis director dignissimus, Georgius de  
Stengel \*\*), ad religiosi hujus ordinis generalem praefectum, amicum suum, literas ea  
super se dedit, qui sequentem in modum rescripsit.

### Responsum I

Capucinorum Praepositi generalis \*\*\*).

*Vir illustrissime ac doctissime.*

*Cum gratias Tibi demississimas pro singulari tua benignitate agam, quia prosperum meum in Ita-  
liam reditum gratulari mihi dignatus es, felicem me simul reputo, occasionem me nactum esse,  
serenissi-*

\*) Celebris haec abbatia Sagan in Silesia sita est. In ea duce doctissimo Abbate praeter ceteras  
scientias & Meteorologia jam multo ex tempore praeclare colitur.

\*\*\*) Venerandum Musis palatinis nomen, quo secundum optimum principem majorem hucusque tu-  
torem & fautorem habuerunt neminem. Immortalibus illi beneficiis cum devinctae sint, me-  
moriam ejus pio gratoque animo aeternum colent.

\*\*\*) Ex germanico translatum.

*Serenissimo principi Electori operam aliquam navandi, modo provincia Capucinorum Mediola-  
nensis, quae ex charitate & ad ministerium peregrinantium duos patres in monte S. Gotthardi  
sustentat, iis, quae desideras, ex animi mei sententia exequendis par fuerit. De his per nun-  
tios publicos proxime abituros ad ejus provinciae praepositum literas una cum Monito mittam,  
cujus responsum, quod brevi expecto, pro ratione officii mei sine mora Tecum communicabo.  
Interim summa cum reverentia me nomino,*

*Vir excellentissime,*

*Dedi Romae die 24 Decembris*

*1780.*

*Devotissimum Tibi Erhardum Radkerspur-  
gensem, Capucinis Praefectum generalem.*

### Responsum II

ejusdem Praepositi generalis \*).

*Vir illustrissime ac doctissime.*

*Pro eo, ac debeo, certiore Te facio, provinciae Mediolanensis praepositum acceptis a me  
literis viro digno & physicae intelligenti, scilicet patri Onuphrio Vareseensi, observandi munus  
in monte S. Gotthardi extemplo imposuisse, misisse ei Monitum additis aliis necessariis praeceptis,  
atque haec ut summa diligentia sequeretur, in mandatis dedisse. Ingenti ego gaudio afficiar,  
si expectationi vestrae dictus pater fecerit satis, ac ea res documento mihi vel exiguo esse possit,  
quantopere serenissimum Electorem, cujus gratiae me meosque humillime commendatos volo, &  
meis & pauperis ordinis mei officiis demereri desiderem.*

*Vale, vir excellentissime, & fave*

*Romae die 20 Januarii 1781.*

*Tui observantissimo Erhardo Radkerspurgensi,  
Capucinorum Praeposito generali.*

Per literas idem Academiae director rogavit illustrissimum comitem Antici, apud  
summum Pontificem legatum Electoralem, Romae ut in observatorem idoneum ex legi-  
bus societatis inquireret. Demandatam ille curam, ut est humanus in omnes & litera-  
rum amantissimus, lubens & alacris suscepit, ac doctissimum Abbatem Calandrelli, ma-  
the-

\*) Germanice scriptum, latine redditum.



theseos in collegio romano professorem, ad faciendas observationes promptum paratumque invenit. Providit autem insuper, hoc in collegio ut instrumenta nostra sedem perpetuam haberent. Majus in universum omni nostro encomio est indefessum illustrissimi Comitis studium, quo res societatis cum Romae tum in aliis Italiae urbibus egit ac promovit. Nec tace- re fas est praeclaram operam, quam eminentissimus Cardinalis *Zelada*, vir solida va- staque rerum naturalium scientia conspicuus, ac meteorologiae imprimis studiosus, spon- te sua nobis Romae dedit.

Stationes meteorologicas in Bavaria nobis circumspicientibus egregium subsidium tulit *Stephanus de Stengel*, regiminis electoralis consiliarius, societatis teutonicae, quae Manheimii est, director, principi a conclavis secretioris commentariis, de tota societa- te nostra longe meritissimus, praeclarissimi patris, quem supra nominavimus, praeclarus filius. Hic universitatem Ingolstadiensem, abbatiam ad S. Emmeranum Ratisbonae, coe- tum religiosorum ordinis S. Augustini Monachii, astronomos abbatiae Rotenbuchen- sis in monte Peiffenberg constitutos, abbatias S. Zenonis, montis Andex, & Tegernseem- sem, ad laboris nostri communionem invitavit & traduxit, instrumenta Monachii, ubi princi- pem secutus degit, hinc missa recepit, porro ferenda curavit, ac nihil non egit, quo observationes his locis vigerent, ac societatis menti votisque responderent.

Thuringiae & Franconiae metropoles Erfordiam & Herbipolim cum ad observationes animo destinasset, secretarius societatis per literas ea in re opem petiit a celeberrimo ut Musarum sic Mortalium omnium amico, barone de Dalberg, ecclesiarum cathedra- lium Moguntinae & Herbipolitanae canonico, urbis Erfordiensis supremo praefecto, magna cum eruditione parem modestiam raro exemplo conjungente. Curis hujus viri solertissi- mis brevi factum est, ut Academia scientiarum Erfordiensis, & universitas Herbipolitana, communem se operam collaturas & instrumenta nostra recepturas esse pollicerentur, ac illa quidem medicinae professori publico Planer, haec physicae experimentalis professori item publico Egel, viris utrimque doctissimis, observationes demandarent. Rei Herbipoli curandae adiutorem egregium se praebuit vir plurimum reverendus *Martinus*, princi- pis Episcopi consiliarius intimus, & studiorum in ea universitate director, pro qua bene- volentia & laudes & gratias nostras immortales meretur.

Magno sibi subsidio futurum esse non tam sperabat quam certo tenebat societas clarissimum illud universitatis Patavinae lumen, primae notae physicum, ac scientiae meteorologicae illustrem genitorem, abbatem Toaldo, dum nobis se adjungere, & in- strumenta nostra speculae, cui praest, astronomicae consentiente universitatis senatu ad perpetuos usus inferre posset, de voluntate enim & summa ejus humanitas & ardentissi- mus

mus ille in literas & bonum publicum amor dubium nobis nullum relinquebant. Rem itaque exploraturus literas ad virum celeberrimum secretarius scripsit, ad quas ille re- sponso non diu post dato omnem nobis operam suam professus est, & oblatam provinciam se lubentissime subiturum esse spondit.

A praestante hoc physico certior de instituto nostro factus clarissimus eques Marfi- lius Landriani, qui scientias naturales, ac praecipue Meteorologiam, felicissimo pro- fectu Mediolani colit, omne studium suum, datis ad secretarium officiosissimis literis, sponte nobis detulit. Et sane, quamvis observationes nullas conferat, operam tamen hucusque tam praeclaram nobis commodavit, ut illam digne praedicare vix valeamus.

Eorum, qui meteorologiae per Galliam sunt dediti, facile principem esse celeberrimum patrem Cotte, oratorii presbyterum, & Monte Morentiaco parochum, non tam ejus fama, quae per omnem Europam inclaruit, quam edita opera loquuntur. Viros tam exercitatos in laboris communionem venire cum sua plurimum interesse societas sem- per existimavit, secretarius & hunc illustrem Physicum cum eo, cui praest, coetu da- tis literis invitavit. Annuit is extemplo & libenti animo votis nostris, oblata electora- libus instrumentis in specula sua meteorologica perpetua sede.

Ut instrumenta nostra ad mare mediterraneum commodo tutoque loco ac peri- tis in manibus essent, non una ex causa optaveramus. In mentem venit di- gnissimo, quem supra nominavimus, socio nostro, Christiano Mayero, cele- bris specula astronomica Massiliensis, cui vir doctissimus juxta ac humanitatis ple- nus, S. Jacques de Silva belle, praefectus est. Huic ille cum per literas, quarum commercium inter utrumque viget, mentem societatis aperuisset, rescri- bens astronomus Massiliensis testatus est, paratissimum se esse, qui instrumenta in regia specula collocet (ubi eorum usus perpetuis sub astronomis perpetuus est), & dela- tum subeat observandi munus.

Atque hi sunt, quos hucusque in laboris partem vocavimus. Praeter hos autem multi fuerunt cum literati coetus, tum viri privati doctissimi, qui instrumenta electora- lia ad observationes ex praescripto societatis faciendas, & nobiscum rite communican- das, peterent. Ad hos coetus pertinent sequentes:

1) Seminarium Clericorum, quod Fridbergae prope Augustam Vindelicorum est, testibus literis illustrissimi Stephani de Stengel (p. 40), ad me datis Monachii die 2 Novembris 1780. Hujus votis annuere eo non potuimus, quod modo stationes justo plures in Bavaria haberemus.

2) Academia scientiarum Divionensis, quae sequentes literas ad secretarium societatis scripsit \*).

*Vir clarissime.*

*Ex opere meteorologico, quod vulgasti, quodque diarium Eruditorum indicavit, nuper intellexi, serenissimum Electorem palatinum instrumenta meteorologica subministraturum esse iis, quibus voluntas fuerit observationes instituendi.*

*His ego ex 20 annis hac in urbe occupor, & Academia acquisitis jam aedibus, quas habito, & in quibus observo, curatura est, ut haec observationes etiam post me continuentur. Exinde videtur, vir clarissime, commercium hanc inter & vestram Academiam subsidio fore instituto vestro, nec abs re futurum esse, nos in eorum collocari numero, quibus serenissimus Elector instrumenta destinavit, ita comparata, ut eorum harmonia auctoritatem conciliare possit iis, quae ex observationibus, diversis in regionibus factis, olim inferentur.*

*Abbas Rozierus, physicis notissimus, qui nunc Bellam Mansionem (Beaufejour) haud procul Bliterris se recepit, observationes meteorologicas non minore cura quam artis peritia instituit. Non ita pridem certior a me factus de consilio, quod ceperam, hoc ipsum commercium, de quo hic scribo, tibi, vir clarissime, proponendi, rogavit me, ut idem pro se beneficium peterem. Haec mandata eo majore cum gaudio efficio, quod persuasum habeam, rerum vestrarum curatorem mutuum plane eximium vos esse nacturos. Salute te plurima impertit,*

*Vir clarissime,*

*Dedi Divione ex aedibus academicis  
die 18 Junii 1781.*

*Tui observantissimus Maret, Medicinæ  
Doctor, Academiae secret. perpetuus.*

Verbis societatis nostrae rescriptum est illustrissimae Academiae Divionensi, paratissimos nos esse ad instrumenta ocyus mittenda, ubi viam tutam indicasset, adversos casus (infra memorandos) declinandi, quibus illa in Gallia toties afflicta fuerant, qua super re nihil responsi hactenus nobis redditum est.

3) Academiae scientiarum Atrebatensis & Claromontana, uti literis a clarissimo Cotte die 17 Sept. 1781 ad me missis accepimus. Academiae Claromontanae idem, quod Divionensi, significavimus; Atrebatensi vero obsecundare propterea nobis non licuit, quod Bruxellensi nimis sit vicina, nec expediat, stationes sine necessitate multiplicare.

4) Col-

\* Ex gallico veritas,

4) Collegium nobile Justinopolitanum, cujus nomine Vir doctissimus Deodatus Galizi e scholis piis, philosophiae ac matheos in eo professor, die 30 Januarii 1782 ad me scripsit. Et haec urbs Patavinae, ubi stationem habemus, justo vicinior esse nobis visa est.

5) Societas meteorologico-medica Hagana, quae sequentem in modum ad nos scripsit:

*Viri celeberrimi ac doctissimi.*

*Institutum vestrum, simul ac nobis innotuit, summa laude dignum visum fuit.*

*Nosmet ipsi in id incumbimus, ut ex observationibus tam meteorologicis quam medicis, inimò e locorum situ eorumque solo, nec non morbis, qui ab anno 1779 in republica nostra saevierunt, modisque illos curandi, tractu temporis tales deducere consequentias possimus, quae olim publico commodo inservire poterunt.*

*Jam eo progressi sumus, ut ope celeberrimorum Virorum, in rebus & meteorologicis & medicis versatissimorum, qui nobiscum varias relationes communicaverunt, volumen integrum, in duas partes divisum, nostraque lingua vernacula conscriptum, in lucem emisserimus, quod brevi, ut speramus, prima pars subsequens comitabitur.*

*Attamen, ut nunc unice de re meteorologica loquamur, candide fatendum, observationes ejus generis numquam tutius fieri posse, quam si ad eas colligendas adhibeantur instrumenta, sibi invicem similia, & insuper eadem observatores utantur methodo. Hoc probe perspexistis, Viri celeberrimi, ideoque eos, qui vobiscum labores suos meteorologicos communicarent, instrumentis, omni parte consonis, locupletatis, simulque requiritis, ut secundum Monitum vestrum, in eam rem editum, agatur.*

*Nos quoque jam in prima lucubrationum nostrarum parte & methodum observandi sive monitum texuimus, quod circiter 42 paginas, in forma, quae octava major nuncupatur, occupat, additis duabus tabulis aeneis.*

*Verum cum a Viro celeberrimo Johanne Henrico van Swinden, Professore Franequera-  
no, societatisque nostrae membro dignissimo, accepimus, legem Vobis esse, a serenissimo Conditore confirmatam, privato nemini instrumenta dandi, eaque unice integris literatorum coetibus vel societatibus tradendi, omnino persuasum habemus, illa nondum huc, Hagam nempe Comitum, pervenisse.*

*Ut tamen tali hiatus (si ita loqui fas est) obvieniatur, nos, qua directores societatis meteorologico-medicae Haganae, opem nostram libenter offerimus; & ne dubium apud Vos supersit, si societatem nostram instrumentis Vestris beare, iisque exemplar praedicti Moniti, quod huc*

usque integrum non vidimus, adungere non dedignemini, quin observationes rite & exalte juxta desiderium Vestrum instituantur, ea cura imponetur membro itidem nostrae societatis solertissimo, Domino Simeoni Petro van Swinden, in curia Hollandiae causarum Patrono, hic degenti, qui, quoad tale laboris genus, fratris sui, laudati Professoris Franekerani, vestigia feliciter persequitur.

Valete, Viri celeberrimi ac doctissimi, & Deus ter Optimus Maximus Vestris nostrisque conatibus faveat.

Hagae Comitum IV idus Mart.

1782.

Directores societatis meteorologico-medicae Haganae.

J. P. van der Maer, Vice Praeses,

Ex mandato eorum

J. S. van den Bosch,

Soc. ab actis.

Oblatum celeberrimae hujus societatis studium grato ac gaudenti animo a nobis acceptum est, missaque sunt instrumenta prima, quae se dedit, opportunitate.

6) Abbatia Ochsenhusiana, quae in Suevia est. Literas hac de re ad secretarium societatis die 4 Maji 1782 dedit abbatiae astronomus & mathematicum in ea professor, P. Basilius Berger. Cum modo sufficiens stationum numerus in Germania nobis sit, recusare hic instrumenta dolentes debuimus.

Etiam privatos meteorologiae cultores, qui in numerum observatorum electoralium cooptari desiderarunt, honoris causa nominare fas est. Potiores hi sunt \*):

- 1) Clarissimus Dominicus Beraud, de quo supra (p. 33);
- 2) Gotefridus Ericus Rosenthal, physicus Nordhusiae multo celeberrimus;
- 3) Johannes Vivenzio, regius Neapoli archiater, Meteorologiae perquam studiosus;
- 4) Vir clarissimus Vianello, Claudiae Fossae medicus, physicae intelligentissimus;
- 5) Rudolphus de Geyer, Baro, Dominus in Schweppenburg, sereniss. Electoris palat. consiliarius intimus & Aquisgrani Advocatus major;
- 6) Pater Alexius ex ordine Capucinorum, Academiae, quae Claromonti Alverniae est, sodalis;
- 7) Celeberrimus Baro de Hüpfich, qui physicam Coloniae agrippinae summo studio colit;

8) Dia-

\*) Quorundam literae & nomina interciderunt,

- 8) Diarii physici olim scriptor clarissimus, abbas Rozier, vid. supra pag. 42.
- 9) Vir illustris van de Perre, dominus in Nienwerve, Welsing & Everswart, ad Belgii foederati comitia a Zelandia delegatus, meteorologiae mirifice deditus;
- 10) Jacobus Nicolai Wilse, Spidebergae Norwegiae Parochus, societatis regiae scientiarum Gottingensis membrum;
- 11) Vir doctissimus Johann. Nepom. Fischer, Acad. scientiarum Monachiensis socius, matheseos olim in universitate Ingolstadiensi professor, nunc in solo natali abditus, ex quo scholae bavaricae Monachis sunt commissae.

His omnibus denegare instrumenta electoralia ex lege principis saepe dicta oportuit. Electoralibus tamen similia, at expensis suis facta, obtinuit clarissimus van de Perre, opera secretarii in ea re usus, cui observationes suas annuas instar membri societatis mittere benignissime pollicitus fuit.

Huc ea pertinent, quae serenissimus Dux Gothanus, Ernestus Ludovicus, meteorologiae amantissimus, in hujus scientiae bonum anno superiore egit. Is de instituto nostro ab illustrissimo barone de Dalberg (p. 40) certior factus secretarium societatis humanissimis literis rogari jussit, ut duodecim sibi barometra, totidemque thermometra, ac declinatoria duo, ad exemplum electoralium, suis sumptibus conficienda curaret, quae olim accepta per terras suas constitutis observatoribus distribuit, gratis benignissimis secretario pro labore actis, & observationibus, quae in statione Ducatus principis fierent, societati in usum oblatis.

Ad omnes stationes hactenus recensitas instrumenta missa sunt, sed varia fortuna. Ad alias salva & illaesa, ad alias fracta aut vitata adlata sunt. Ubi humani vectores, qui cistulas caute & leniter tractarunt, ubi portorii exactores in vota tam faciles, ut eas visitandi gratia non aperirent, ibi instrumentis rarissime quidquam mali in via evenit. Difficile est, asperos vectores a jactandis cistulis, facile portitores ab aperiendis cohibere. His enim mandatum principis, aut hujus locum tenentis, eum in finem mitti potest, id quod complures academiae ac universitates, ubi periculum erat, a nobis rogatae fecerunt. Idem quidam in Gallia, qui facere poterant, se facturos esse humanissime & quasi ultro promiserunt, quorum verbis credentes instrumenta viae, sed simul in perniciem dedimus, eo, quod illi obligatam fidem non liberarent, nec crescente periculo saepius rogati adduci possent, ut liberarent. Nullibi unquam in tam infestos casus quam in Gallia instrumenta nostra incurrerunt, cistulis in via miserabilem in modum dilaceratis, aut retentis, aut plane amissis, sic, ut quaedam in hunc usque diem reperiri

non potuerint. Eae folae omnis damni, aut faltem gravioris, expertes ad loca praestituta perlatae sunt, quas Argentorati plumbeo sigillo muniendas, aut navi transportandas curavimus.

Praestandum nunc est, quod ad calcem Moniti promissimus, nos scilicet nomina observatorum societatis cum orbe literato esse communicaturos. En illa:

Andex (in monte)	cl. Kettel, ord. S. Benedicti (pag. 40),
Berolini	Beguelin, academiae regiae scientiarum socius,
Bononiae	Matteuci, astronomiae & matheos professor,
Budae	Weis, caesareo-regius astronomus,
Bruxellis	Observator adhuc ignotus,
Duffeldorpii	Phennings, congregationis Vicepraeses,
Erfordia	Planer (vid. supra pag. 40),
Genevae	Senebier, bibliothecae urbanae Praefectus,
Gotthardi (in monte S.)	Onuphrius, ex ord. Capucinorum,
Gottingae	Gatterer junior,
Hafniae	Bugge, astronomiae & matheos professor,
Hagae Comitum	Van Swinden, in curia Hollandiae caesarum Patronus,
Herbipoli	Egel (supra pag. 40),
Holmiae	Observator nondum notus,
Ingolstadii	Steiglehner, physices & mathesis professor *),
Manheimii	Hemmer (vid. p. 18),
Maffiliae	S. Jacques de Silva belle (p. 41),
Monachii	Huebpaue, ord. Erem. S. Augustini, Theol. Lector,
Monte Morentiaco	Cotte (pag. 41) — **),
Parisiis	Observator adhuc ignotus,
Patavii	Toaldo (vid. p. 40),
Peiffenbergae	Schloegel, Canonicus regularis ord. S. Augustini ex Abbatia Rotenbuch,
Petropoli	Euler, academiae imp. scientiarum secretarius perpetuus,
Pragae	Strnad, caesareo-regius astronomus,

Ratisbo-

\*) Anno superiore hoc loco observarunt doctissimi professores Matthias Gabler, S. E. P. consil. ecclesiasticus, & Joh. Nepom. Fischer (p. 45), nunc a docendo amoti.

\*\*\*) Adversi casus supra dicti instrumenta iteratis vicibus huc missa omnia praeter declinatorium perdidere.

Ratisbonae	Observator nondum cognitus *),
Romae	Calandrelli (supra pag. 39),
Rupellae	Seignette, academiae reg. scientiarum secret. perpetuus,
Sagani	Preus, Canonicus regularis ord. S. Augustini,
Tegernsee (in abbat.)	Gotthardus, ord. S. Benedicti (p. 40),
Zenonem (ad S.)	Observator adhuc incognitus (p. 40).

Juxta serenissimi Electoris Rescriptum supra communicatum (pag. 7) omnes observatores societatis exteri membris ejus adnumerandi sunt. Quare academia nostra sequens diploma conscribi, & typis excusum observatoribus paulatim impertiri jussit.

*Academia Electoralis scientiarum Theodoro-Palatina  
Lecturis Salutem.*

*Fecit immensa utilitas, quam ex Meteorologia bene exculta promanare necesse est, ut serenissimus Elector Carolus Theodorus meteorologicam nuper conderet societatem, cum Academia nostra conjunctam, cujus praecipuis curis & laboribus tenera haec scientia & adhuc vacillans esset demandata. Quo vero susceptum arduum opus feliciter succederet, sapientissimus princeps arctiore inter se vinculo colligandos esse duxit eos, qui communem ad illud industriam conferrent, quem in finem omnes societatis observatores, extra sedem principem Manheimium constitutos, inter membra ejus extera jussit cooptari. Huic itaque sociorum numero tam lubentes volentesque, quam summo Fundatoris mandato obtemperantes, adscribimus Virum doctissimum . . . Cujus rei testimonium publicum daturi hoc diploma curavimus exarandum, & consueto sigillo nostro muniendum. Datum Manheimii Calendis Octobris MDCCLXXXI.*

L. Baro de Hohenhausen.

(L.S.)

De Stengel.  
Hemmer.

In haec tempora incidit Academiae Electoralis conventus publicus autumnalis \*\*), in quo haec, proposito 50 ducatorum praemio, quaestionem in novum hygrometrum vulgavit, infra in descriptione instrumentorum referendam. Perspectum enim Academia habebat,

\*) Hic anno superiore observavit cl. Steiglehner, nunc Ingolstadtum ad philosophiae cathedram vocatus.

\*\*\*) Celebratus Idibus Octobris.

habebat, multa adhuc esse, quae in hoc instrumento desiderentur, sine perfectis autem instrumentis ipsas observationes mancas esse oportere.

Ut quisque sibi proximus, quod proverbium habet, ita patriae, cujus pars sumus, praecipua ratio in constituendis rebus meteorologicis habenda nobis videbatur. Itaque loca quaedam insigniora & imprimis commoda in ea circumspeximus, in quibus instrumenta nostra collocarem. In his autem locis cum virorum literatorum coetus seu collegia praeter monasteria Mendicantium \*) nulla existerent, his committere instrumenta statuimus. Sed in iis reperire fuit neminem, conveniente observandi peritia instructum. Hanc illa saltem causam recusationi suae praetenderunt. Quare provinciae Franciscanorum praefectum per literas rogavi, ut viros negotio pares ad ea loca mitteret, rem enim agi ad bonum publicum pertinentem, & principi Electori maxime antiquam. Ad haec ille lingua vernacula paucis ita rescripsit:

*Cum in provincia nostra noverim neminem, qui rebus ejusmodi, quarum cura tibi a serenissimo principe demandata est, operam navet, offerre etiam neminem possum, ad quaevis alia officia paratissimus*

*Cosmas Winandi.*

Potius ego existimavero, reverendum virum suos non novisse satis, quam in tanta hominum multitudine, qui Musis litarunt, ad unum omnes tanta rerum physicarum inscientia laborare. Utcunque res habeat, consilio hoc nostro desistere, & iis solis observationibus contenti esse debuimus, quae sine instrumentis fieri possunt.

Hae ut per totum Palatinatum se diffunderent ac recte vigerent, omnes urbium oppidorumque insigniorum parochos, medicos, aliosque viros idoneos, probante ac mandante serenissimo principe ad eas invitavimus. Hunc in finem sequentem Epistolam, typis expressam \*\*), ad omnes praefectos provinciales misimus, rogantes, ut eam suis in praefecturis vulgarent, quod & plurimi singulari humanitate & solertia fecerunt.

*Epistola societatis meteorologicae palatinae, observationes concernens, quae jussu serenissimi Electoris ex Palatinatu colligantur.*

*Meteorologia sane e numero praestantissimarum earum cognitionum est, in quibus curas suas digne desigere incolae tam urbium quam agrorum unquam possunt. Haec ad optatum perfectionis*

\*) Ex omnibus ordinum religiosorum monasteriis, tempore mutationis religionis, quam Reformationem dicunt, sublati, haec sola in Palatinatu restituta fuere.

\*\*\*) Ex germanico traductam.

Observationes in Anno 1788 & loco

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
Fructus agrorum.	Sati.	Flos.	Collectio.	Proventus.	Morbi vel insecta nociva.	Arbores & frutices.	Cumae.	Folla.	Flos.	Maturitas.	Proventus.	Morbi vel insecta nociva.	Aves migrantes.	Adventus.	Discessus.

17 Menses.	18 Nati.						19 Denati.					20 Morbi dominantes.			21 35. Morbis secundariis extincti.	22 36. Paria conubio juncta.	
	18 Pueri.	19 Puellae.	20 Summa.	21 Catholici.	22 Luthera- ni.	23 Reforma- ti.	24 Viri.	25 Mulieres.	26 Pueri.	27 Puellae.	28 Summa.	29 Catholici.	30 Luthera- ni.	31 Reforma- ti.			32 Morbi genus.
Januarius.																	
Februarius.																	
Martius.																	
Aprilis.																	
Majus.																	
Junius.																	
Julius.																	
Augustus.																	
September.																	
October.																	
November.																	
December.																	
Summa.																	

Catholicorum.  
  
Luthera-  
norum.  
  
Reforma-  
torum.

Etiam gradum eveſta univerſo generi humano largiſſimum felicitatis fontem aperiet, ex quo rationes haud dubiae promanabunt, & valetudinem hominis tuendi, & agriculturam atque oeconomiam ruralem ad ſtatum multo florentiſſimum adducendi. Quamobrem ſereniſſimus Elektor hanc ſcientiam ſingulari favore complexus ad eam excolendam perpoliendamque propriam nuper ſocietatem inſtituit, quae obſervatores ac inſtrumenta ſua per univerſam Europam diſtribuit. Quoniam vero optimus princeps ditiorum ſuarum palatinarum proſperitatem praecipue cordi habet, diſtae ſocietati in mandatis dedit, ut ex inſignioribus harum ditiorum urbibus oppidisque ſequentes obſervationes ſpeciales quotannis colligat, ipſisque clementiſſimis manibus tradendas curet.

1) Accuratam indicem propagationis incolarum, ſive catalogum natorum ibidem & denatorum generatim, & ſecundum quamvis religionem ſpeciatim.

2) Designationem morborum, qui homines pecudesque inibi ſingulis menſibus inveſtarunt.

3) Obſervationes fidas, quo tempore vitis ac genera primaria cum arborum ſilveſtrium ſativarumque, tum ſegetum effloruerint, quo tempore fruſtus tulerint maturos; qui comparata fuerit tam ratione copiae quam qualitatis vindemia, item foeni, frugum ac pomorum collectio; qui morbi, quae inſecta huic illive fruſtui damnum attulerint.

4) Quando aves migrantes ac aliae, quae ſtata ſervant tempora, advenerint diſceſſerintque. Quo & ordinate & commode notari conſcribique hae obſervationes poſſint, tabulas proprias excudi ac per Elektoratum diſtribui ſocietas meteorologica curabit. In eo tantum res verſatur, ut ſufficiens philanthroporum reperiatuſ numerus, qui ſolerti boni communis ſtudio incenſi hoc in ſe negotium ſuſcipere velint. Ut praecclaris hi meritis patriam devincient, ſic dignam iis laudem publice conſequentur, nominibus eorum ſereniſſimo principi exhibitis, & typorum ope cum orbe communicatis. Quare parochi, munerum curatores, medici, ſaltuarii, ceterique in urbibus juxta ac oppidis nobilioribus omnium Palatinatus praefecturarum tam primariarum quam ſecundariarum conſtituti, humaniſſime rogantur, ut operis ad communem felicitatem ſpectantis capiant partem. Obſervationes quovis loco unus tabulis mandat, reliqui eas pro ſua quiſque parte conferunt. Hanc in ſe operam recepturi nomina, officia & dignitates ſuas una cum loco, quem incolunt, ad calcem praefentis Epistolae apponunt.

Datum Manheimii Calendis Octobris 1781.

En formam tabulae \*), cujus in Epistola meminimus.

Uſum tabulae adjuncta propria explicatione, typis excuſa, docuimus. E lingua patriaria verſam hic damus. Expli-

\*) Lingua vernacula editae, ut quiſque facile intellexerit.

## Explicatio Tabulae.

Continet haec tabula 36 series descendentes, lineis transversis in loculos divisas. In prima serie praecipui agrorum fructus alii sub aliis notantur, scilicet far hybernum & aestivum, frumentum saracenicum & indicum, zea, avena, hordeum, milium, rapistrum (rüb-  
sat), fabae, pisa, lentes, brassica capitata, pira terrae (grundbiren), rapae, cannabis, linum, trifolium, foenum &c. In serie 7 ponuntur genera potiora culturarum silvaticarumque arborum ac fruticum, cujusmodi sunt malus communis, persica, armeniaca; pirus, cerasus, castanea, ficus, amygdalus, prunus, nux, morus, corylus, ribesium, vitis, tilia, fagus, quercus, sambucus &c. Seriebus 2, 3, 4, 8, 9, 10, 11 dies & mensis inscribuntur, v. gr. 4 Martii. Voce *Maturitas* in serie 11 maturitas fructuum arborum intelligitur. Proventus in 5 & 12 serie verbis *copiosus*, *mediocris*, *modicus* aut similibus signatur. In seriebus 15 & 16 notantur dies & mensis. Summa in serie 20 invenitur pueros & puellas quovis mense occurrentes addendo. Ex hac summa in seriebus 21, 22, 23 id collocatur, quod singulis religionibus inde convenit. Idem fit in seriebus 24 usque ad 31. In seriebus 33 & 34 numerus aegrotorum & defunctorum pro quolibet mense annotatur. Morbi secundarii una cum numero hominum, quos singuli toto anno extinxere, locum in serie 35 habebunt. Vocabula *vir* & *mulier* in seriebus 24 & 25 personas denotant, quae conjugatae aut reapse sunt, aut alias fuere. Nomine *puerorum* & *puellarum* in seriebus 26 & 27 veniunt personae omnes adhuc coelibes, sive infantes, sive adultae sint. Denique ab 18 usque ad 36 in fine cujusvis seriei summa omnium numerorum in ea contentorum collocatur.

Eorum, quos ad has observationes invitavimus, ingens numerus, & spe nostra major, dictam Epistolam subscripsit. Congruus hic locus est, eorum nomina vulgandi, quod facturos nos esse in Epistola promissimus. Per praefecturas ordine alphabetico ibimus, in singulis eundem nominum ordinem servaturi.

## Praefectura Alzeiana (Alzei).

*Aegidius Steigleder*, parochus catholicus Odernheimii.  
*Christophorus Waltraab*, praetor Armsheimii.  
*Georgius Burkhardus Kaibel*, parochus reformatus Hangenweisheimii.  
*Gottfriedus Haag*, Saltuarius Offenheimii.  
*Guignard*, chirurgus Alsheimii.  
*Haag*, Saltuarius Wonsheimii.

*Jacobus Nau*, parochus catholicus Monasterii ad Navam.  
*Johannes Jacobus Regnier*, praefecturae tabularius Freinsheimii.  
*Joh. Petrus Weinert*, judicii tabularius in Westhofen.  
*Johannes Steigleder*, parochus cathol. Niederweinsheimii, Wolfsheimii & Wallertheimii.  
*Philip-*

*Philippus Carolus Le Picque*, parochus reformati, Dalsheimii.  
*Philippus Wolf*, parochus cathol. in Osthofen.

*Stephanus Haag*, Saltuarius in Osthofen.  
*Vallender*, parochus Pfedersheimii.  
*Volpert*, judicii tabularius Hochheimii, Pflislichheimii & Leifelheimii.

## Praefectura Baccaracensis (Bacharach).

*Carolus Fridericus Johannes Minola*, consul & domus hospitalis Baccaracensis curator.  
*Daniel Kurz*, consul emeritus, & domus hospitalis, quae in Diebach est, curator.  
*Johannes Mathias Grau*, philosophiae ac

Medic. Doctor, praefecturae primariae Baccaracensis, & secundariae Caubensis physicus.  
*Josephus Lebersorg*, vectigali praepositus, & Saltuarius Baccaraci.

## Praefectura Brettenensis (Bretten).

*Arnoldus Henricus Poetz*, Regiminis palatini consiliarius, praefecturae summus praetor.  
*Franciscus Antonius Wezel*, camerae aulicae palatinae consiliarius, domorum hospitalium Brettenensis & Heidelshaimensis summus curator.  
*Franciscus Dominicus Poetz*, judicii aulici palatini consiliarius.  
*Fridericus Ranschmüller*, Saltuarius palatinus in Eppingen, & capituli cathedralis spirensis procurator.  
*J. A. Grossi*, parochus cathol. Helmsheimii & Heidelshaimii, V. C. R. definitor.  
*J. A. Wagenknecht*, parochus ref. Heidelshaimii.  
*Jacobus Bak*, parochus ref. & Inspector in Weingarten.

*Jacobus Staab*, praetor urbis Heidelshaimii.  
*Joh. Georgius Eisenmann*, parochus cathol. urbis Brettenensis.  
*Joh. Henricus Dieffenbacher*, Brettiae parochus ref. primarius.  
*Joh. Ludovicus Koch*, Brettiae parochus lutheranus.  
*Joh. Ludovicus Theddaeus*, parochus ref. primarius in Eppingen.  
*Joh. Philippus Steimmig*, Medicinae Doctor, consilii medici palat. assessor, urbis & praefecturae physicus, domorum hospitalium Brettenensis & Heidelshaimensis, uti & Balnearum, quae Zeisenustiae sunt, medicus ordinarius.  
*Lothar*, parochus luther. in Eppingen.  
*Wilhelmus Ponz*, praefecturae subpraepositus.

## Praefectura Crucinacensis (Kreuzenach).

*Augustinus Hofbauer*, ord. S. Benedicti, Superior Sponheimii.

*Carolus Maubach*, camerae aulicae palat. consiliarius, & Salinis Theodorianis praepositus.



*G. Ch. Winkelblech*, parochus ref. in Bokenau.  
*Gerhardus Rettig*, parochus ref. in Monzingen.

## Praefectura Germersheimensis.

*Antonius Ludovicus*, praefectus saltuum Germersheimensis.  
*Born*, confiliarius ecclesiasticus & inspector ref. Germersheimensis.  
*Carolus Josephus Praeg*, parochus cathol. in Göklingen.  
*Fridericus Frison*, philosoph. & Medic. Doctor, praefecturae primariae physicus.  
*Georgius Praeg*, decanus ruralis, & parochus in Klingenstein.

## Praefectura Heidelbergensis.

*Adamus Josephus Heusser*, regiminis palat. confiliarius, praetor urbis, propaefectus, & quaestor primarius.  
*D. Schmidt*, parochus ref. Weinheimii.  
*Degen*, confiliarius palat. & praetor Weinheimii.  
*Endgens*, chirurgus & quaestor Gemundae ad Nicarum.

## Praefectura Ladenburgensis.

*Johannes Fischer*, summus praetor in Hemsbach.  
*Michael Trauninger*, S. E. P. confiliarius

*Hilgard*, parochus ref. Boffenheimii.  
*Johannes Lambertus Soher*, parochus cathol. in Genzingen.

*Jacobus de Tantphaeus*, praefectus provincialis Germersheimensis.  
*Johannes Conradus Rellstatt*, parochus ref. in Gottramstein & Gleizweiler, uti & inspector classis Billigheimensis.  
*Joh. Jacobus Kolb*, Teutonum & Wallonum parochus Billigheimii.  
*Joh. Michael Gerlein*, praefecturae Landekenensis tabularius.  
*Schmidt*, parochus luther. in Albertsweiler.  
*Seitz*, parochus ref. in Albertsweiler.

*Franciscus Josephus Büchler*, tabularius urbis Weinheimii.  
*Haag*, Saltuarius in Bammental.  
*J. Melchior Horschler*, consul magistratus Weinheimensis.  
*J. Michael Gerber*, praetor urbis & scripturarius Gemundae ad Nicarum.  
*Liberatus Köhler*, ord. S. Augustini, professor Gymnasii in Wisloch.

ecclesiasticus & facellanus aulicus, parochus Ladenburgensis.  
*Philippus Kopp*, iudicii tabularius in Hemsbach.

Praefe-

## Praefectura Mosbacensis (Mosbach).

*Bartholomaeus Joh. Christ. Emmermann*, iudicii aulici palatini confiliarius & praefecturae aessor Mosbaci.  
*Carolus Helfenstein*, parochus reform. in Kirchart.  
*Joh. Daniel Rebhard*, parochus ref. Elzae ad Nicarum.

*Joh. Henricus Helfenstein*, theol. candidatus ref. Sinzheimii.  
*L. F. Goetter*, parochus cathol. in Hilsbach.  
*Martin*, parochus luther. in Schlüchtern.  
*Raber*, praefecturae actuarius in Hilsbach.  
*Wilhelmus Kuhn*, parochus luther. Sinzheimii.

## Praefectura Neostadiensis (Neustadt).

*Franciscus Henricus Schopmann*, pharmacopola Neostadii.  
*Georgius Elias Bopp*, corrector gymnasii Casimiriani Neostadiensis.

*Jacobus Petrello*, doctoratus theol. candidatus, & parochus cathol. in Duttweiler.  
*Müller*, parochus cathol. in Elmstein.  
*Philippus Jacobus Breuchel*, Notarius in Gimmeldingen.

## Praefecturae Ozbergensis &amp; Umstadiensis (Ozberg &amp; Umstadt).

*Aloysius Gresser*, Saltuarius eques in Sembd.  
*Antonius Josephus Ransch*, confiliarius palat. & quaesturae administrator Umstadii.  
*Antonius Vowinkel*, praefectarum Ozbergensis & Umstadiensis tabularius.  
*Christ. Wilhelmus Hoffmann*, philosoph. ac med. Doctor, praefectarum Ozbergensis & Umstadiensis physicus.  
*Cullmann*, parochus ref. Ozbergae.  
*Ernestus Gambs*, camerae aulicae palat. confiliarius, praefectus saltuarius Ozbergae & Umstadii.

*Fr. Durr*, parochus cath. Ozbergae.  
*Franciscus Hennemann*, regiminis palat. confiliarius, praefectarum primariorum Ozbergensis & Umstadiensis administrator.  
*Franciscus Philippus Peetz*, parochus cath. Umstadii.  
*Fridericus Christianus*, administrationis ecclesiasticae palat. Collector.  
*Henricus Balthasar Kohlenberger*, saltuarius secundarius in Sembd.  
*Henricus Wilhelmus Braun*, parochus secundarius Umstadii, uti & in Sembd & Groszimmern.

G 3

Joh.

*Joh. Adamus Hofemann*, parochus ref. pri-  
marius & Inspector Umstadii.

*J. B. Baurbach*, parochus in . . .

*Johannes Beswald*, saltuarius secundarius  
in Heubach.

*Johannes Enz*, curator L. B. de Sickingen.

*Johannes Sebastianus Hohl*, parochus ref.  
in Lengfeld.

*Joh. Valentinus Blum*, geometra Umstadii.



DESCRIPTIO  
INSTRUMENTORUM METEOROLOGICORUM,  
TAM EORUM,  
QUAE SOCIETAS DISTRIBUIT,  
QUAM QUIBUS PRAETER HAEC MANHEIMII  
UTITUR.

## P r a e f a t i o .

*Observationes nostras meteorologicas in lucem emissuri praemittendam esse duximus instrumentorum descriptionem, quibus illae institutae fuerunt. Cum enim observationum bonitas cum bonitate instrumentorum arctissimam habeat conjunctionem: multum ponderis observationibus nostris ipsi detraxissemus, si hanc descriptionem omissemus. Sane nullus meteorologiae cultor, et si peritissimus, postulare jure potest, ut nudis ejus verbis, quibus bonae notae instrumentis se usum esse affirmaverit, fides habeatur. Edisserat necesse est, qua via instrumenta fuerit indeptus, num facta emerit, an inspiciente se ac dirigente fabricata fuerint, & quo demum modo sint constructa. Multa sunt enim hujus generis instrumenta, quorum confectio curam tam multiplicem tamque scrupulosam requirit, ut, si soli artifici committantur, sperari vix possit, futurum esse, ut nihil, quod ad rei naturam pertinet, omittatur. Horum namque hominum plerique necessaria destituti sunt intelligentia, atque etiam multa, quae satis norunt, vel lucri gratia praecipitant, vel ob difficultates sumtusve majores, quibuscum juncta sunt, plane praetermittunt. Neque est, quod is nihil sibi metuendum putet, qui artificem nactus fuerit, cujus nec peritia nec fides revocari in dubium potest. Celebres enim ejusmodi artifices laboribus plerumque ita onerantur, ut omnibus rite curandis soli minime sufficiant. Itaque multa, quae nonnisi dudum ac sub oculis eorum fieri deberent, credere sociis coguntur, quorum fides quanti facienda sit, quisque facile intelliget. Atque hinc est, quod tam multa instrumenta, quae ex officinis peritorum ejusmodi artificum veniunt, examen non sustineant, tam multa, quae in eadem officina nata sunt, sibi collata non consentiant, cujus rei luculentissimus testis experientia est.*

*Quod si vero meteorologiae studiosus instrumenta sua ipse praesens & dux operis facienda curaverit, istud & sibi & orbi literato debet, ut, quam viam tenuit, plane omnem aperiat; hoc enim pacto palam fiet,*

*an nihil ipse, quod opus erat, praeteriverit, an nulla in re fuerit hallucinatus, qui communes scopulos vitarit, ad quem perfectionis gradum instrumenta sua extulerit, & quantam proinde haec fidem mereantur.*

*Quod ad perfectionem instrumentorum nostrorum attinet, isthaec non eadem in omnibus existit. In barometris quidem & thermometris, quae omnium praecipua sunt, eam omnino tantam esse existimamus, quantam societatis nostrae postulat scopus, in eo positus, ut ad ipsos variationum fontes, quas atmosphaera nostra identidem subit, olim penetremus. Huc quaeso quid facit, fractiones linearum partibus millesimis, aut minoribus adhuc, loco decimarum, quas adoptavimus, exhibere? Quamquam haec atque alia similia, quibus praecleari physici ea instrumenta perfectiora reddere conati sunt, minime contemnenda esse sponte ac libere fateamur.*

*Quae in aliis instrumentis adhuc desiderari deprehendimus, ea suo loco candidè indicavimus. In horum quibusdam defectus relinquere coacti fuimus propterea, quod universi physicorum conatus nondum eo eniti hucusque potuerint, ut iis tollendis pares essent. Huc pertinet v. gr. hygrometrum, in quo perficiendo ipsi adlaboravimus, ut infra videre erit. In aliis, quibus corrigendis operam non inanem complures physici recentiores dedere, nihil immutare volumus, donec ad eum statum fuerint redacta, in quo scopo suo & plenius & certius faciant satis. Ex Museo meteorol. Elect. prid. calend. Aprilis MDCCLXXXII.*

DESCRI-

## D e s c r i p t i o

### INSTRUMENTORUM METEOROLOGICORUM.

#### Barometrum.

Quam commune quamque late diffusum hoc instrumentum est, tam raro & difficile invenitur unum aliquod, dotibus omnibus ad exactas fideque dignas observationes necessariis instructum. Rem non amplifico, si dixerò, ex omnibus barometris, quae a communibus eorum confectoribus venalia circumferri solent, ne unicum quidem esse, quod quidquam valeat. Quid vero de iis statuendum sit, quae e manibus intelligentum peritorumque artificum veniunt, in praefatione videre est. Illud, quo ego ad quotidianas observationes utor, barometrum, uti & ea omnia, quae societas nostra meteorologica quaquaversum mittit, juvante celebri encauste italo *Artaria*, sequenti modo construxi.

Tubus vitreus, quem adhibui, oppido mundus & pellucidus est. Ejus diametèr interior duas lineas aequat, ab altero extremo usque ad alterum omnino sibi constans. Quoniam hujus generis tubi multo rarissimi sunt, curandum est, ut ii, qui seliguntur, per eam minimum partem, quam columnae mercurialis summitas permeare dato in loco potest, exacte ejusdem sint capacitatis, per cetera vero, quam fieri potest, minime ablutant. Aequalitatem diametri hoc modo indagavi. Candida in charta lineam duxi A B (fig. 1), & huic perpendiculariter insistentem C D. In tubum E F, cujus diametrum investigaturus eram, columnam mercurialem longitudinis circiter pollicaris imisi, eumque prope lineam C D ita posui, ut unum columnae mercurialis extremum lineae A B exacte responderet. Tum juxta alterum columnae extremum lineam duxi *m n*, mercuriumque sensim & per intervalla profluere in tubo feci, identidem observans, an lineas A B & *m n* exacte hinc inde terminaret. Hic modus est dimetiendi superficiem mercurii inferiorem, quae superiore semper paulo longior in tubo tam amplo existit. Superficiem metiri superiorem si velis, frusto chartae lusoriae, formam G I H (fig. 2) habentis, ad hoc uti poteris. Pars G H tubo ita imponitur, ut G unum extremum mercurii vitrum supra contingentis exacte tegat, tum ex H tantum refecatur, quantum opus est, ut alteri extremo superioris mercurii superficiei omnino congruat. Hoc Chartae frustum multo commodius est circino, quem quidam hac in re commendant: is enim nimis lubricus super vitro est, quae res facit, ut ejus pedibus ambo mercurii extrema capere perquam sit difficile. Fatendum interim est, hanc tuborum diametros emetiendi

H, 2

ratio-

rationem non ita perfectam esse, ut nihil plane desiderandum relinquat. Majorem utique perfectionem hac in re consequeretur is, qui tubum immixtis cylindris, ex dura materie confectis & probe rotundatis, intus defricandum & laevigandum curaret. Sed hoc medium non difficile minus est quam sumtuosum.

Quoniam tubi, quorum diameter 2 lineis minor existit, ad capillares accedunt, mercurius in iis notabiliter depressior erit. Ubi diameter 2 lineas excedit, major erit mercurii altitudo, sed aequalitas diametri indicata ratione perquiri nequit, mercurio superficie tubi superiorem aut nullatenus aut vix tangente.

Aequalitate diametri investigata eo primas curas intendi, ut tubum humoribus & immunditiis purgarem, siquae forte ex eo tempore, quo apertus fuit (jam inde enim ab officina vitraria usque ad immixtum hydrargyrum utrumque ejus extremum hermetice clausum fuerat), internae ejus superficiei adhaesissent. Hunc in finem frustum lintei tenuioris detriti, pollicem unum circiter latum, & duos longum, extremo reticulatae in laqueum desinentis (fig. 3) appendi, & per tubum traduxi. Quo aegrius transit, eo melius. Idem aliquot adhuc vicibus mutato linteo repetivi. Hoc facto tubum aliquoties per carbones arduos lente huc illuc duci, dein alterum ejus extremum hermetice claudi, in altero vero rite curvato sphaeram, cujus interior diameter  $1\frac{1}{2}$  pollicem aequat, flatu formari curavi. Hac sphaerae amplitudine errorem vitare volui, qui committi in parvis sphaeris solet. In his enim mercurius, dum in tubi superiore parte ascendit descenditve, saepe intervallo admodum notabili a libella recedit, quae tamen tamquam immutabilis assumitur. In barometro meo calculus demonstrat, lineam in tubo aequivalere  $\frac{1}{8}$  lineae in medio sphaerae, ubi secundum diametrum suum horizontalem per lineam circiter spatium cylindracea concipi animo recte potest, ac proinde futurum esse, ut, si mercurius eo tempore, quo instrumentum conficitur, ad mediam altitudinem consistit, & post haec in tubo integri pollicis subeat variationem, quae hic locorum totum intra annum multo major esse raro solet, recessus a libella in sphaera  $\frac{6}{8}$  sive  $\frac{2}{2}$  unius lineae sit aequalis. Error hic certe perexigui est momenti & propterea contemptibilis, in tabulas tamen is, qui voluerit, illum referre facile poterit, uti ex dictis patet.

Ut primum sphaera flatu formata erat, tubum mercurio, omnibus immunditiis & heterogeneis particulis diligentissime purgato, replendum curavi. Hoc si differtur, tubulus sphaerae insidens, per quem mercurius introducitur, usque ad tempus, quo replere illum lubet, hermetice claudendus est, ne novi se humores insinuent. Purgatio autem mercurii inde quam maxime necessaria est, 1) quod alioquin fordes suas parietibus vitri appingat, atque hos inde non modo obscurat, sed & ipse in motu suo impediatur; 2) quod immundus mercurius purgato levior existat.

Vitium

Vitium facile maximum, quod barometrorum confectores committere solent, illud est, quod tubum nullo igne adhibito repleant, aut summum semel per carbones arduos obiter ducant. Aer, cujus magna vis hoc modo in instrumento relinquitur, calore & frigore alternis expanditur contrahiturque, atque hinc in ascensum hydrargyri descensumque ita influit, ut, quid atmosphaerae pressioni inde proprie tribuendum sit, sciri omnino nequeat. Tubum meum aëre, quoad ejus fieri potest, purgaturus contentum in illo mercurium ab extremo clauso ultra flexum, sive usque ad brachium minus rectum, ter summo studio coqui curavi. Non una hic labor eademque vice per totum tubum peragi potest. Hic primum prope usque ad flexum sive cubitum repletur, & mercurius dicto modo coquitur. Deinde circiter usque ad flexum extremum repletur, & coctio fit similiter. Sunt, qui coctionem hac in parte ob magnam, quacum conjuncta est, difficultatem omitant; sed non levis hic error est. Hac enim ratione multum aëris in parte tubi inferiore remanebit, qui eam, quam supra diximus, adferet perturbationem.

Duo sunt, quae facta coctione certiores me reddidere, non male peractum esse hunc laborem. Primum est, quod inverso tubo, cujus longitudo 33 est pollicum, mercurius nullibi divisus ex ejus summitate suspensus maneret, nec inde avelli nisi repetitis fortioribus succussibus posset, id quod indicium est exacti contactus mercurium inter & vitrum, ac proinde aëris probe expulsi. Attamen quasi per transfennam notandum est, coctione vel curatissima omnem penitus aërem exturbari non posse. Nam si mercurium dicto modo avulsam reflueret feceris, non amplius adhaerescet, quod priorem exactum contactum interposita molecula aërea, quantula cunque haec sit, impediri demonstrat. Alterum indicium, tubum meum aëre bene purgatum esse, illud est, quod post primam coctionem lucem perexiguam, post secundam oppido vividam, post tertiam plane nullam in tenebris emisit. Constat hodie, lucem, quae in barometris observatur, phaenomenum esse electricum. At constat etiam, ignem electricum, quam celeria & corusca ejus effecta sunt in aëre attenuato, tam parum, quam ipsum ignem communem, in spatio aëris plane vacuo lucere, vel lucere posse. Fortis mercurii allisus in superius tubi extremum etiam quidem signum est, eum aëre esse purgatum; hujus tamen purgationis gradum non tam bene determinat quam duo signa priora.

Hydrargyro ita cocto tubum in tabula lignea, gummato liquore induta & accurate divisa, filis ferreis firmavi. Lignum, quo usus sum, nucem est vetustissimum, ab articulario aulico ipso viginti annos ad opera solida & duratura servatum. Tubus & sphaera in lignum debite excavatum mediam partem immissa sunt. Divisionem a libella, quam linea tenuis ad medium sphaerae in tabula utrimque ducta notat, ad 25 usque pollices operae mensurae chalibae, ad mensuram archetypam Parisinam fidiissime exactae institui. Qui

H 3

novit,

novit, quam difficile sit, mensuram certam & minime fallacem invenire, is facile fatebitur, etiam in hac re barometris paucissimis fidi posse. A 25 pollicibus usque ad 29 Notius, in digitos lineasque secundum mensuram supra dictam divisus reperitur. Constat is lamina aurichalcea A B (fig. 4), cochleis in *a a* ad tabulam firmata, in qua quadratum K P per crenam *m n* sursum deorsumque moveri potest. Hoc in latere angusto dextro a linea *r s* in 10 partes descendentes aequales, 11 lineis laminae A B pares, divisum est. Pars itaque quadrati quaevis  $\frac{11}{10}$  lineae aequat, quae res facit, ut partes lineae decimas facile sit metiri. Index *c d*, cujus acies superior pari libra est cum linea *r s*, in semicirculi formam flexus superficiei sua interna partem tubi anteriorem exacte complectitur, quin tamen eum omnino tangat. In parte quadrati averfa parallelepipedum *o s* (fig. 5) firmatum & in crenam immisum est, cujus extrema uncinis suis stringit elater L M (fig. 6). Hic cochlea V (fig. 7) magis minusque contrahi, atque hac ratione motus quadrati moderari potest. Rotula dentata si elateris loco adhiberetur, motus hic paulo commodior foret; an aequabilior etiam, ut nonnulli autumant, non facile erit dijudicare. Discrimen saltem notabile vix ullum intercedet.

Ut barometrum meum rite collocarem, duo mihi opus esse videbantur, & situs perpendicularis & justa firmitudo. Ubi vel tantillum inclinatum est, mercurius tam in sphaera quam in tubo non omnino ad libellam consistit; pars altera justo altior, altera justo depressior est; quam igitur cumque pro vera altitudine assumeris, errorem committes. Si instrumentum non satis firmatum est, concussus quilibet, qui tamen sexcentis in casibus vitari vix poterit, damnum duplex adferet. Primum est, quod barometrum e situ suo perpendiculari dimovebit, alterum, quod hydrargyrum in tubo ad motum adiget; hoc autem ubi fit, aliquanto tempore altius haeret, quam sola aëris pressio postulat. In his ergo rerum adjunctis observare inevitabilis est error. Hanc ego perturbationem averfurus tabulam crassam ex ligno veteri ad perpendicularum in pariete firmavi, atque in hac tabulam barometri, adhibito quoque perpendiculo, cochleis fixi. His ita paratis mercurium in sphaeram usque ad dictam supra libellam eo tempore infudi, quo ad mediam circiter altitudinem aër illum in tubo elevabat.

Musaeum, in quo suspensum est barometrum meum, numquam calefit, nec solis radius toto anno in illud penetrat. Altitudo a solo usque ad libellam mercurii in sphaera barometri aequat 42 pedes, 2 pollices, & ab ea parte littoris Rheni, quam mediae altitudinis aqua alluere solet, usque ad eandem libellam pedes 48 & pollices  $8\frac{1}{4}$ . Quis naturae scrutator observationes suas accurate determinaturus, ut cum aliis exacte comparari possint, altitudinem indicet oportet, qua barometrum suum collocatum est, pro hac enim multum variat altitudo mercurialis.

Pro

Pro saepe jam nominata libella mercurii in globo barometri, quae lineae in tabula utrimque ductae respondeat, basin segmenti sphaerici mercurii, five eam illius partem assumi, qua a vitro recedere & figuram convexam induere incipit. Hanc basin etiam pro mercurii altitudine in tubo quotidianis in observationibus sumi, quamquam verticem dicti segmenti utroque loco veram esse altitudinem ultro fatear. Verum non modo perquam difficile, sed ausim dicere, omnino impossibile est, altitudinem hujus segmenti, a vitri parietibus plane sejuncti, oculo exacte determinare. Adde, quod, si altitudo columnae mercurialis in tubo puncto segmenti convexi supremo aestimanda sit, etiam punctum foveolae infimum, quam mercurius descendens format, pro hac altitudine oportet sumere. Hoc autem evidenter impossibile est propterea, quod oculus cum hoc puncto ob adhaerentem vitro mercurium in eadem linea horizontali constitui non possit. Quidquid igitur fiat, in observatione altitudinis mercurialis levis error committetur. Praestat autem, ut hac de re certo modo inter observatores conveniat, quam ut quisque temere & pro suo arbitrio errori se tradat. Hunc tamen ad libellam inferiorem, ubi pro forma & magnitudine receptaculi mercurii valde gravis esse potest, minuere pro viribus oportet. In sphaera barometri mei, prout illam supra descripsi, nullius censendus est momenti eo, quod oculo vel acutissimo vix ullam in hydrargyri superficiei convexitatem liceat deprehendere.

Aliud adhuc est, quod motum barometri dubium reddit, & incautum observatorem in errorem inducit. Istud calor est aëris instrumentum ambientis. Non desunt vel clari nominis physici, qui aëri pro varia sua temperatura ullam vim in barometrum esse negent, sed fallacibus potius ratiociniis quam experientia ducti. At quam indubius hic ipse aëris effectus est, tam difficile est, quibus agat legibus, definire. Multa in hanc rem experimenta institui, sed nondum ita comparata, ut omnem fidem mereantur. Cum iis interim, quae celeberrimus de Luc eundem in finem instituit, non conveniunt. Hoc ipsum argumentum apparatu, ut videtur, commodo & simplici etiam in Anglia tractatum est\*), adjuncta tabula ad corrigendum caloris effectum concinnata. Sed haec experimenta repetere tempus mihi nondum permisit. Utcunque autem haec se res habeat, tabulae barometri thermometer inferui, una semper observandum & adnotandum, ut hujus effectus subtrahi olim ab illo possit.

Quoniam sphaera tubo adhaerens, vel aliud quodvis mercurii receptaculum, levem sibi errorem, ut supra ostendimus, adjunctum semper habet, hunc utique plane vitari liquet, tubo altera extremitate simpliciter inflexo, seu in formam siphonis curvato. Sed  
hujus

\*) Transact. philosoph. an. 1772.

hujus generis barometra, etsi ceteris hoc capite perfectiora, ad quotidianum tamen usum propterea inepta sunt, quod mercurius in brachio minore a liberi aëris contactu pelliculam contrahat, a qua nisi identidem repurgetur, quae res molestissima foret, & vitrum fordium & observationem hoc loco faciendam impeditam incertamque reddet. Ad haec tamen barometra exigi alia, & idcirco *normalia* dici possunt. Cum hujusmodi barometro, quod magna cura confectum duobus Noniis instruxi (fig. 8), cetera omnia, quibus sphaeras adjunxi, haftenus comparavi, & discrimen constans aliquot decimarum lineae, quibus illud haec superabat, in omnibus reperi.

## Thermometrum.

Si raro, ut supra monuimus, bonum perfectumque barometrum reperitur, multo rarius & difficilior est in thermometrum incidere, cui fidi satis possit. Multo enim plura in hujus instrumenti quam in barometri confectioe adhuc observanda, singulaque multo majore providentia & cura tractanda sunt, adeo, ut nihil sit primum magis, quam in uno alterove hallucinari, atque inde totum opus abnorme & vitiosum reddere. Quae ego in conficiendo eo thermometro, quo indies utor, atque in aliis similibus observaverim, fideliter exponam.

Tubos modo in officina vitraria utroque extremo hermetice claudendos curavi, viam humoribus, qui illabi & adhaerescere intus possent, hac ratione praeccludendos. Majore adhuc cautione opus hic erat quam in barometris, eo quod humores ex angustis quam ex amplis tubis difficilior expellantur, in illis etiam quam in his adhuc plus noceant. Eos tum primum aperui, cum diametri aequalitatem esse indagaturus. In hac indagatione eadem sum methodo usus, quam supra in barometris (p. 59) descripsi. Labor isthic facillior est quam illic, eo, quod columna mercurialis propter diametri angustiam hic utroque extremo oculi judicio semper exacte rotundetur. Contra etiam interioris diametri exacta aequalitas per totam tubi longitudinem hic multo magis necessaria est quam in barometris, tum quia mercurius totam hanc viam, nisi extrema justo plus excurrant, partim in scalae constructione, partim aëris actioni expositus motu suo peragit, tum quia hic nihil est, quo corrigi effectus inaequalitatis diametri facile possit.

Posteaquam tubi diametrum diligentissime dimensus fueram, cylindrum \*) ei flatu adjun-

\*) Cylindrus prae globo illud commodi habet, quod ad formandum ejus loculamentum seu foveam, in qua reponitur, haud necesse sit tabulam tam profunde incidere, quam ubi globus est. Accedit, quod atmosphaerae calor frigusque citius ad cylindri quam ad globi centrum sive axem, cui columna tubi mercurialis incumbit, ceteris paribus penetrent.

adjungi curavi \*), & purissimo mercurio \*\*) sequenti modo replevi. Tubum una cum cylindro super ignitabulo oblongo tenebam, donec totus caleret. Hoc medio humores omnes expellebantur, siqui forsan adhuc inhaerent. Tum orificium tubi in vasculum mercurium continens, quod eo usque semper bene obturatum fuerat, ocyus immerfi. Cylindro ad quartam circiter partem repleto tubum e vasculo retraxi, & cylindrum ignitabuli carbonibus admovi, in quo cum mercurius aliquamdiu probe ebullivisset, orificium tubi denuo in vasculum celeriter immisi, quo facto cylindrus totus cum tubi parte replebatur.

In cylindro tamen exigua aëris bullula remanere nonnumquam solet. Haec si non expellitur, nociva suo tempore erit, quia calore ex intervallo expansa mercurium elevat & motum ejus perturbat. Fuganda igitur est ocyus, dum mercurius in cylindro caleret, is enim ubi refrigit, bullula fere tota evanescit, insuper vitro tam tenaciter adhaeret, ut avelli inde vix ullo modo queat. Ut primum igitur mercurius cylindrum repleverit, tubus e vasculo exemptus erigitur, & manu in manum aliquoties impacta bullula ad ipsum tubi initium ascendit, ubi ejus diametrum interdum totum, interdum medium tantum occupat. Eam ut & hoc loco exturbarem, receptaculum A (fig. 8) adjungendum curavi, per quod filum ferreum subtile & igne probe purgatum *cd* usque in cylindri partem superiorem immisi. Post haec vacuum tubi partem calefaciebam, humores durante hoc labore forte illapsos expulsi. Tum cylindrum ad prunas celeriter admovi, ut mercurius tubum totum expleret, & in ipsum usque receptaculum ascenderet. Hoc facto mercurium in cylindro, quem in fovea inter prunas facta perpendiculariter tenebam, sic, ut igne ex omni parte circumdaretur, quater quinquiesve fortiter coxi, at cylindrum, quoties undae ferventius assurgebant, ab igne amotum super poculum vitreum intuli ad mercurium excipiendum, si hic forte vitrum vehementioribus ictibus suis diffingeret. Notatu perquam dignum hoc in labore est, nihil ingentis illius vis bullarum aërearum conspici, quae, ubi mercurius sine igne immixtus fuit, inter hunc & vitrum in coctione apparere solent, manifesto indicio, eas non tam a mercurio quam a vitro provenire, cu-

jus

\*) Nisi hic labor mox peragatur; ambo tubi extrema charta obvolvuntur, quo ingressu humores prohibeantur.

\*\*) Mercurium spiritui vini praetuli, quia ad caloris frigorisque sensum hoc vel purissimo ac praestantissimo est mollior. Hac de re certum me reddidit sequens experimentum. Sumebam duos scyphos ex eadem materia paris crassitiei, altitudinis & capacitatis; alterum ad medium usque replevi hydrargyro probe purgato, alterum ad eandem altitudinem spiritu vini pulverem pyrium accedente. In hos liquores thermometra immisi inter se similia & correspondentia, & ambobus scyphis in patina paulo profundiore collocatis aquam calentem circumfudi. Thermometrum mercurio immersum altero multo prius ascendere, & aqua refrigerante etiam prius regredi coepit.

jus parietibus adhaerebant, quemadmodum in univcrsum omnes corporum superficies denfioe aëris lamina ftipatas effe & ratio & experientia evincunt. Hanc aëris maffam jam tum e cylindro expuleram, cum exiguam hydrargyri portionem initio immiffam fortius ebullire facerem, unde quae in fecunda coctione in confpectum veniebant bullae, admodum rarae erant. Hae tamen dictam bullulam aëream cylindri collo inhaerentem, & aegre alias abigendam, fecum juxta filum ferreum per receptaculum in auras abripuere. Quandoque nihilominus poft haec quaedam bullulae refrigerente mercurio in fuperiore tubi parte verfus *e* apparent, ubi columnam mercurialem disjungunt. Hoc fi evenerit, cylindrus denuo calefit parum, quae res faciet, ut mercurius in tubo afcendat, cum ea portione, quae a coctione in receptaculo adhuc refidua eft, arte conjugatur, ac proinde dictas bullulas fupra expellat.

Poftquam mercurius ad tubi circiter medium iterum defcenderat, quod aqua frigida glacieve, cui vitrum immittitur, accelerari poteft, tubum paulo infra receptaculum liquando feperari, ac in canaliculum capillarem *m n* (fig. 9) duci curavi. Hoc facto partem tubi vacuam fupra dictum oblongum ignitabulum denuo fortius calefaciebam, quo ultima vice humoribus interius purgaretur. Paucis poft minutis cylindrum prunis fimul admovi, unde mercurius lente ufque in tubum capillarem afcendebat. Hujus extremum ut primum attigerat, & promanare incipiebat, mollem globulum cereum, quem paratum habebam, orificio praefixi, ad aditum aëri exteriori pracludendum. Tum canaliculum capillarem flamma feperandum, & tubum hermetice claudendum \*) curavi, unde omnia ab imo ad fumum aëre exacte vacua \*\*) erant, fic, ut tubo inverfo hydrargyrum ad ejus ufque extremum citato motu ferretur, illudque, velut in barometris aëre exhauftis, fonoro ictu percuteret. Cavendum vero eft, ut ne extremum tubi, dum igne liquatum

\*) Quodfi tubus apertus manet, humores praeter varias fordes fe infnuant, vitri parietibus adhaerescunt, inquinant mercurium, motum ejus regularem impediunt, & ipfam ejus altitudinem faepe imminuunt. Nam ubi ille per humidam contaminatamque vitri fuperficiem vi caloris expanfus afcendit, & poftea denuo defcendit, complures faepe globuli mercuriales vitro adhaerentes relinquuntur, ac proinde a columna hydrargyri feperantur, ut experientia didici. Affenfum igitur non merentur il phyfici, qui rem innocuam effe contendunt, fi thermometra non claudantur.

\*\*) Sunt, qui portionem aëris in fuperiore tubi parte relinquunt. Haec autem fi cujusdam momenti eft, plurimum oberit. Idem enim calor, qui mercurium expandit, hunc fimul expandet aërem, qui tum fubjectam fibi columnam mercurialem elateris inftar premet, ac propterea non tam alte afcendere finet, quam alias afcendiffet. Confultum nihilominus eft, ut in iis thermometris, quae procul mittuntur, & quorum diameter paulo major eft, perexigua aëris molecula relinquatur, ne fortioribus mercurii ictibus tubi extremum abrumpatur. Haec vero quam innocua de reliquo eft, tam facile vehiculi fuccuffibus in columnam mercurialem penetrat, eamque dividit. Tali in re in vacuam tubi partem hand difficulter repellitur, fi inftrumentum oblique inverfum (fig. 10) repetitis manus in manum impactibus leniter concutiatur.

tum occluditur, jufto craffius evadat, ceteroqui enim in figendo aquae bullientis puncto facile diffringitur, ut faepius expertus fum, quia una vitri lamina altera multo prius incalefcit.

Quodfi poft haec omnia evenerit, ut globulus aëreus in columna tubi mercuriali relinquatur, qui fortiore calore excitatus in confpectum venire, & dictam columnam dividere poffet, uti inftrumento aquae-bullienti immerfo quandoque, raro tamen, contingit, tum tubi extremum iterum aperiendum, & coctio una cum toto reliquo labore conftanter repetenda eft. Interdum columna mercurialis, dum tubus paulo celerius invertitur, prope collum cylindri difjungitur, fed reftituto tubo iterum exactiffime coit. Hic non eft effectus portionis cujusdam aëreae eo loco relictae, quippe quae mercurium divifum denuo plane conjungi prohiberet, fed partim gravitatis mercurii nullo aëre fuffulti, partim lenioris cujusdam concuffus ei fubita tubi inverfione impreffi, partim denique attractionis vitri, qua mercurius in collo cylindri admodum angufto pendens ita fuffinetur, ut, nifi fuccuffus paulo fortiores accefferint, nihil effluat.

Nunc duo puncta fixa, aquae fcilicet bullientis & congelationis, rite mihi capienda erant, puncta, quae exacte determinari dici vix poteft quantum interfit. Ad figendum punctum illud prius communiter tantum cylindrus globusve inftrumenti, quandoque fimul adhuc pars tubi, immergi in aquam bullientem folet. Hanc agendi rationem vitio immunem effe, perfuadere mihi non poteram eo, quod pars mercurii fupra aquam exiftens etiam quendam adhuc caloris gradum concipere deberet, fi aquam fubiret. Attamen experientiae erat decidere, utrum hic gradus in tali tubi anguftia fub fenfum caderet. Quare vas mihi particulare cylindraceum, 26 pollices longum, & anfa ad ufus commoditatem inftructum, fieri curavi. Hoc aqua pura repletum igni circumcirca ardenti expofui. Aquae fortiter bullienti, & bacillo ad fundum ufque agitatae, primum folum thermometri cylindrum, deinde fimul tubum ufque ad fummitatem columnae mercurialis immerfi. Inaequali hac immerfione faepius repetita conftanter deprehendi, toto vitro, quoad mercurius pertingit, fubmerfo punctum aquae bullientis  $\frac{3}{4}$  gradus, aut integro adeo gradu, altius exiftere, quam cum tantum cylindrum, vel etiam una adhaerentem illi tubi partem, immergerem. Quo facilius in aqua fuffineri vitrum poffet, extremo ejus fuperiori refliculum adnexui, qua re factum eft, ut manus urentibus aquae vaporibus emergeret, quorum aestum diu ferre nemo poteft.

Punctum aquae bullientis notari folet filo mobili, tubo jam ante circumligato, quod dein eum ad locum adducitur, quo mercurius immotus confiftit. Verum haec ratio aequae difficilis ac incerta eft, cum fieri vix poffit, ut filum in medio fpiffiffimo vapore circumcirca ita aequaliter aptetur, nulla ut parte altius aut depreffius quam altera exiftat. Hujus



ego vice-adhibui laminam orichalceam flexilem C D (fig. 11), manubrio incurvo L instrumtam, quam tubo inferui, vi quadam elastica ei adhaerentem, facile tamen huc illuc se moveri sinentem. Cum jam mercurius aliquot temporis minutis immotus constitisset, aciem laminae superiorem ope manubrii ad superiorem mercurii superficiem exacte adduxi, ita tamen, ut haec laminam tantillum superaret. Vitro post haec aqua exemto filum fericum subtilissimum, e taenia resoluta acceptum, & gummato liquore imbutum, prope laminae aciem, ubi scilicet mercurii summitas steterat, ter quaterve circa tubum duxi, quem situ inclinato interea tenebam, quo regere filum certius possem.

Aquae bullientis punctum fixum non est, nisi quatenus barometro ad certam definitamque altitudinem elevato capiatur. Quo gravius enim atmosphaerae aquae incumbentis pondus, eo major sit necesse est gradus caloris, ad bulliendum eam impellentis, eoque altius proinde hydrargyrum in thermometro ab aqua bulliente attolletur. Quo major itaque columna mercurialis in barometro, eo altius punctum aquae bullientis erit in thermometro, & vice versa. Saepius ego capto in eodem thermometro experimento observavi, multum hoc punctum pro diversa barometri altitudine variare. Quantum autem barometri singuli pollices in altitudine puncti aquae bullientis efficiant, id me iudice nondum ita definitum est, ut non porro indagari novisque experimentis confirmari mereatur. Antequam haec res extra omne dubium posita fuerit, non alia nobis via supereft, ratione puncti jam saepe dicti thermometra comparabilia, & horum ope observationes correspondentes obtinendi, quam ut illud in omnibus hujus generis instrumentis, barometris harmonicis ad eandem altitudinem consistentibus, figuratur. Quantae vero difficultatis res sit, hujusmodi barometra adipisci, pluribus supra ostensum est. Adhaec per se patet, fieri propter diversam locorum elevationem haud posse, ut mercurius in iis umquam ad aequalem altitudinem pertingat. Rebus ita comparatis nihil restabat aliud, quam ut haec instrumenta universa curis & opera unius ejusdemque physici confecta per omnes terras distribuerentur, quam rem multis longisque votis olim expetitam ab immortali principe Carolo Theodoro tandem operi datam esse supra diximus. Ad punctum aquae bullientis in thermometro meo ut redeam, illud barometro ad 27 pollices Parisinos elevato fixi. Hac barometri altitudine nulla fortasse alia frequentius in diversis terrae locis recurrit, id quod commoditatem quandam praebet, plura thermometra cum nostris consentanea alibi construendi.

Ad punctum congelationis quod attinet, abunde hodie constat, suam illud stabilitatem tantum in aqua glaciali, sive in glacie aut nive liquefcente habere. Ut etiam hac in re, quoad ejus fieri potest, tutus incederem, punctum congelationis in thermometro meo octo diversis diebus & sub diversis rerum adjunctis studui determinare. Nunc glaciem  
sumsi

sumsi ex cryotheca, nullo tamen sale ante inspersam, nunc aliam libero aëri expositam; & hanc quidem posteriorem modo ejusmodi, quae magna vi frigoris, modo talem, quae frigore minore concreverat; interdum & nive glaciei loco usus sum. Hanc glaciem, sicut & nivem, alias in cubili temperato, alias in calefacto, atque in hoc modo prope fornacem, tum procul inde collocavi, eamque interdum usque ad tertiam aut quartam, nonnunquam usque ad mediam partem liquefieri sivi. Cum mercurius in omnibus his experimentis eundem semper locum occuparet, punctum meum congelationis tandem firmum certumque habui. Haec experimenta, adhibitis duobus eodem modo formatis repletisque tubis, simul institui. Alterum normam permanentem & prototypum puncti congelationis pro aliis thermometris designavi. Notandum autem est, me glaciem, antequam ad liquefendum eam exponerem, minutim contudisse, ac tubum, ut supra in puncto aquae bullientis, usque ad mercurii summitatem immerfisse.

Ad fabricandam tabulam, in qua firmandus tubus erat, vetus lignum nuceum sumsi. Scalam adhibui Reaumurianam, hoc est, in 80 gradus divisam. Hanc autem Fahrenheitianae ideo praetuli, quod in hac posteriore punctum congelationis cogitans nihil firmi determinati-que concipere mente possim. Fahrenheitius enim aequae ac Reaumurius, uti constat, hoc punctum in glacie artificiali, proinde modo valde incerto & fallaci, quaesivere. Postea punctum congelationis Reaumurianum mutatum, ac recto loco supra indicato positum est, Fahrenheitianum vero idem mansit, quamquam erroribus, qui in observationes inde manare possent, alia ratione occursum fuerit. Nonium scalae non adjunxi. Illo qui aliquo tempore in barometro fuerit usus, is partes graduum decimas in thermometro nudo oculo facile aestimabit.

Thermometra complura in eundem, quem jam descripsi, modum curatissime constructa cum diu multumque observassem atque inter se contuliffem, illud identidem reperi, paulo tardiolem in iis motum esse, quorum tubi ampliore sunt diametro. Hujus rei ratio est, quia in his bulbum seu cylindrum majorem esse oportet; in amplioribus vero bulbis quam in gracilioribus paulo segnius calorem atmosphaerae frigusque agere debere, supra (pag. 64) ostendimus.

Stationem thermometri mei fenestram borealem ejusdem musaei, in quo barometrum suspensum est, elegi. Plaga borealis ceteris anteferenda est propterea, quod aura inde spirans communiter frigidior ea sit, quae aliunde allabatur. Incredibile dictu est, quantum discriminis his instrumentis adferat non tantum plaga, sed & quivis fere locus paulum mutatus, ubi suspenduntur. Duo thermometra exactissime inter se consentanea alterum versus boream, alterum versus meridiem ante diversas ejusdem conclavis fenestras libero aëri saepe exposui, & uno aut pluribus etiam gradibus quandoque inter se differ-

differre deprehendi. Discrimen etiam non leve fere semper reperi, ubi diversa a solo altitudine in eadem plaga collocassent. Sed hoc cum primis mirabile, quod vel in eodem conclavi, undequaque clauso, non calefacto, solis radiis inaccessis, e diversis parietibus suspensa notabiliter inter se dissentirent. Hinc efficitur, caloris gradum in hac illave urbe, dato quovis tempore, definiri in universum numquam posse. Ante eam igitur, quam dixi, fenestram, a parte ejus dextra, id est, ortum versus, tabulam ligneam solidam, e qua duae subscudes transversae 3 pollices crassae prominent, situ perpendiculari locandam curavi. Ad has subscudes thermometer meum cochleis firmavi. Hac ratione illud non tantum a lapidibus fenestralibus, sed ab ipsa etiam, qua sustinetur, tabula satis remotum est, & liberum aëri accessum circumcirca praebet. Quo vero melius hic vitrum ipsum ex omni parte contingere posset, tabulam instrumenti eo loco, ubi cylindrus situs est, circumquaque exsecari curavi, basi, cui hic innititur, excepta.

Facit & situs palatii & tabula ante fenestram firmata, ut solis radii numquam directe in thermometer meum incidere possint, id quod velut error gravissimus semper sedulo avertendum est. Hoc vero multum abest ut sufficiat. Etiam curandum est, ut ne radii seu a terra seu a vicinis aedificiis reflexi eo pertingant. A primo horum casuum thermometer meum perquam tutum est, non aequè ab altero. Nam etsi ante dictam fenestram area sit ampla & patens, certa tamen inde distantia obliquo situ transcurrit aedificium, cujus anteriorem faciem, thermometer meo obversam, sol certis anni temporibus aliquot horis collustrat. Quamquam autem proximae partes aedificii soli expositae pleraeque 30 aut 40 pedibus ab instrumento sint remotae, neque hoc ulla radiorum repercussorum luce appareat perfusum, eorum nihilominus vis in illud tanta est, ut aliud thermometer priori consentaneum aliam ante fenestram, a radiis solaribus, quo tempore in dictum aedificium incidunt, plane immunem, suspendere fuerim coactus.

Consulto supra monui, fenestram, ante quam thermometer haeret, ad musaeum meum meteorologicum pertinere, quippe quod toto anni decursu, ut jam alibi dixi, calefieri haud solet. Hoc rei adjunctum notatu est perquam dignum. Si enim inter duo loca contigua diversi caloris, & pariete intergerino separata, communis fiat aditus, januam v. gr. aperiendo, aër inter ea continuo circulabitur, ut ex motu flammae candelae, quae in aperta janua tenetur, clarissime apparet. Quodsi igitur thermometer ante fenestram conclavis calefacti pendet, ea circulatio, praesertim ubi fenestra aperitur, in instrumentum influere facile potest. Imo ipse observatoris halitus, & vapor candelae, quae nocturno tempore ad observandum adhibetur, coelo frigido thermometer aperte & celerrime afficiunt, ut saepe numero sum expertus. Unde in his rerum adjunctis, si omnem influxum in instrumentum evitare volo, animam inter observandum contineam, candelam lucernae indam, & opus nihilominus festinem necessum est. Alti-

Altitudo thermometer mei supra solum, ab ejus cylindro ducendo initium, 44 pedum est Parisinorum. Hoc ideo animadvertendum est, quia calor aëris, quo locus a terra magis recesserit, ceteris paribus identidem decrefcit, qua cum re etiam ea, quam supra (pag. 70) adduximus, observatio consentit.

Ita comparatum est instrumentum, quo ordinarium atmosphaerae calorem dimetior. Non abs re fuerit scire, quem calorem solis radii directe incidentes per annum immediate producant. Eum in finem thermometer particulare hoc modo construxi. I K P H (fig. 12) vitrum est cylindraceum, utroque extremo armilla metallica munitum. In hoc tabula thermometer rite divisa, & crena longa juxta axem pertusa, lithocola firmata est. In centro armillae inferioris rotundum est foraminulum, per quod tubus usque ad cylindrum in dictam crenam immisus est. Hac ratione tabula instrumenti cum suis divisionibus ab amatorum contrectationibus omnique damno tuta, cylindrus vero Q soli liberrime expositus est. Ad fulciendum cum cylindrum thermometer tum thecam vitream, pedem ferreum A B L (fig. 13) in pinna lapidea tabulati, ubi anemometer meum erectum est, affuso plumbo firmari curavi. Ambae armillae appendices habent striariis instructas cavis, in quos immisae cochleae n & E thecam ad pedem adstringunt, cylindrus vero extremo suo inferiore patellae C M insitit, qua impeditur, ne loco moveri possit.

## Hygrometerum.

Eos humores, quos aër subinde concipit, subinde iterum deponit, vi ingenti in plantas & animantia, inque alia corpora agere naturae scrutatores jam dudum exploratum habebant. Amplius autem ille campus, quem effectus eorum complectuntur, recentioribus temporibus distinctius multo exactiusque innotuit, quapropter pro rei gravitate multa opera in inveniendis instrumentis posita est, quo gradum sive copiam eorum humorum convenienter liceret dimetiri. Hoc tam utile, tam necessarium instrumentum in omni generis corporibus quaesitum est. Inventum est aliquid, sed non omne id, quod in votis erat. In expansione corporum, quam humores efficiunt, certa detecta est via cognoscendi, hanc v. gr. diem, hanc horam altera esse humidiorum; at quantum humores vel aucti vel diminuti essent, id nulla mensura licuit definire; hoc tamen illud ipsum erat, quod potissimum quaerebatur & scire oportebat. Vel in notissimo eo hygrometro, quod solertissimus & doctissimus Physicus *Lambertus* post infinita experimenta & gravissimos labores cum orbe literato communicavit, haec mensura adhuc desideratur. Tandem celeberrimo viro *de Luc* feliciore esse licuit, cum aqua glaciali seu glacie liquecente corpora constanter eadem ratione expandi reperisset, id quod primum punctum fixum pro hygrometris

metris suppeditavit. Hoc principio nixus vir clarissimus instrumentum hujus generis ex parvo cylindro eburneo cavo & inserto tubo vitreo composuit, ac mercurio instar thermometri replevit. Sed cum non nisi unicum punctum fixum haberet, facile intellectu erat, fieri haud posse, ut scalam justam fidamque adornaret. Ea revera, quam autor confecit, ejusmodi est, ut potius thermometro quam hygrometro construendo operam dedisse videatur. In emendando hoc errore, quem clarissimus *de Luc* ipse postea agnovit, multi haecenus laborarunt. Meliorem ceteris viam iniisse mihi visus est doctissimus *Retzius* \*), Medicus Atrebatensis, quam in appendice operis gallici, *Météorologie appliquée à la médecine & à l'agriculture* inscripti, ordine exposuit. Adhibet hic loco cylindri eburnei calamum anserinum, quem ipse etiam *de Luc* proposuerat, & puncto fixo glaciei liquefcentis alterum aquae tepidae 25 graduum Reaumurianorum adjungit, spatiumque inter haec puncta interceptum ex ratione, quam infra discutiemus, in 5 partes aequales dividit, quam deinde divisionem, quantum satis est, producit. Cum magnam ego vim hujus generis hygrometrorum confecerim, modum describam, quem multa experientia doctus sum secutus.

Pennae scriptoriae seu anserinae caulem bene sanum, 2 circiter digitos cum dimidio longum, & 3 lineas, aut 2 cum dimidia, parte superiore crassum, horizontaliter refeco, ex eoque omnes pelliculas diligenter eximo. Investigaturus, an extremo inferiore integer sit, ut oportet, ac minime pertusus, parum hydrargyri infundo, & appresso ad officium pollice aliquamdiu agito. Siquid transfluxerit, tamquam vitiosus est rejiciendus; si nihil, bonae notae est. Nihilominus hoc extremum, ne successu temporis forte vitiatum perfluere & mercurium transmittere unquam possit, galericulo vitreo K (fig. 14) munio. In hunc aliquot laccae grana vel frustula indo, quibus admoto igne liquatis caulem repente immitto. Hoc facto totum caulem, exceptis tribus circiter extremi superioris lineis, quas filo paulo profiore designo, cultello scriptorio vel frusto vitri, in totam longitudinem circumquaque iteratis vicibus ducto, ad vesicae siccae tenuitatem aequabiliter rado \*\*). Tum illum mercurio probe purgato

\*) Inventum hygrometri a *Retzio* vulgati clarissimus *Buiffartus*, academiae scientiarum Atrebatensis socius, publice sibi vendicat. Res ipsa tanti momenti nobis visa non est, ut operae pretium esse duceremus, huic nos liti interponere.

\*\*\*) Si non attenuatur, ejus fibrae nimis rigidae actioni humorum aegre cedunt. Calamum ejusmodi nihil mutatum, mercurio repletum, ac tubo vitreo conjunctum, aquae glaciale immergi, & mercurium 5 integras horas in tubo continuo descendente vidi. Hinc colligi facile potest, quam lente & difficulter ab humoribus per atmosphaeram dispersis libero aëri expositus afficeretur. Inter radendum eam legem observo, ut post singulas calami circumversiones coronam filorum in extremitate conglomeratorum tollam, calamum vero ipsum in aquam intingendo madefaciam, ne vitri aut cultelli acies ramenta grossiora auferendo justo profundius penetret. An caulis & aequabiliter & satis attenuatus sit, id tum ex pelluciditate mercurii, quem eum in

purgato ad summum usque repleo, bullas aëreas majores filo ferreo eximo, ac tubum vitreum A e (fig. 15), aequalis in totum diametri, cujusmodi ad thermometra adhiberi solent, in officium calami exacte quadrantem, & liquata gummi parte extrema oblitum, ad eam profunditatem infero, qua caulis non est attenuatus. Mercurii pars eodem temporis momento in tubum ascendere cernitur. Quo hic calamo firmiter inhaereat, ambos ea parte, qua junguntur, annulo orichalceo C (fig. 16) stringo. Quatuor is lineas longus, & margine paulum prominente, quo facilius promoveri possit, instructus est. Parum calefactus & in tubum vitreum insertus sua quasi sponte per eum delabitur. Prope ad extremum tubi ubi delatus est, & oram calami & vicinam tubi partem lacca liquida delibuo, post quae annulum denuo calefactum protinus superinduco. Ne tam hic quam laccae portio ultra definitum terminum forte protrudantur, caulem ad eum usque terminum charta aliquoties circumducta obvolvo. His peractis filum ferreum tenue per tubum in ipsum usque calamum demitto, atque reliquum aërem crassorem succussuum ope, quoad ejus fieri potest, educere conor. Quodsi bullae notabiles concussionibus collectae exitum non reperiant, via eis retracto tubo facienda, & reliquum, quod exposui, opus reiterandum est \*\*).

Ad puncta fixa capienda calamum praeparandum, & ejus elaterem aliquamdiu exercendum esse experientia didici. Hunc in finem instrumentum eo, ut dixi, modo compositum libero aëri duas minimum hebdomades expono. Tum calamum in aqua temperata, graduum verbi gratia 8, vel inde ad 15 usque excurrentium, horam macero, retractum mediam horam in aëre sicco, in eandem aquam dimidium horae repono, aëri horae quadrantem iterum do siccandum \*\*). Praeparatum hoc modo calamum aquae glaciale horam

in finem infundo, tum ex numero circumversionum calami in radendo compertum habeo. Similem enim calamum cum simili ante modo rasilem, & annulos per intervalla inde refectos cum vesica sicca comparassem, facile deprehendi, quot circiter ejusmodi circumversionibus ad quaesitam tenuitatem opus esset.

\*) Quoniam aër calami parietibus adhaerens atque inter ipsas etiam mercurii particulas interceptus igne expelli non potest, ut in barometris thermometricis fieri solet, hujus generis hygrometra ex eo capite necessario vitiosa esse debere quisque facile intelligit. Is enim, qui remanet aër, a calore frigoreque varie affectus, non solum ejusdem instrumenti motum aequabilem impedit, sed & plurimum ad eundem modum confectorum harmoniam turbabit eo, quod effici non possit, ut aequalis aëris homogenei portio in omnibus reperiat.

\*\*) Qui recentem calamum, minime praeparatum adhiberet, is puncta fixa & multo lentius & minus tuto esset inventurus. Quod vero caulem per vices jam aquae jam aëri committam, id ejus elaterem ad subeundas mutationes pronissimum reddit, uti ex repentino mercurii in tubo descensu ascensuque elucet. Calamo equidem ex aqua extracto mercurius primo descendit, id vero perspirationi omnia refrigeranti tribuendum est, qua remittente hydrargyrum illico ascendit. Quodsi caulis sola aqua praepararetur, hac nimium maceratus de vi sua elastica multum amitteret, & genere paralysis afficeretur.

ram circiter immergo, donec mercurius aliquanto tempore immotus confiterit \*). Extractum ex hac aqua, calidae 25 graduum committo, inde iterum eximendum, ut primum elevari mercurius desierit. Ex aqua calida in glaciale, ex hac iterum in calidam eodem, ut ante, modo immergo, quo facto in libero aëre in posterum usque diem suspendo. Eandem operationem plures continentes dies repeto, donec mercurium in utraque aqua bis minimum ad idem remeare punctum observem. Continuationem operis in sequentem diem ex duplici ratione differo, 1) quia, si calamus justo diutius in aqua manserit, hujus fluidi particulae magna copia ad ipsum usque mercurium penetrant, quae res, clarissimo etiam *de Luc* aliisque modo observata, vitium in instrumento generat difficulter avertendum. Quod enim quidam ajunt, eximendum esse ex aqua caulem, ut primum mercurius immotus steterit, id certe nihil est, nam eo tempore non modicam aquae vim per calamum se modo infudisse saepe numero observavi. Optimum erit, calamum ex aqua identidem extractum diligenter inspicere, & statim atque ingressae quaedam particulae aqueae, tenuissimi specie roris perlucens, animadvertae fuerint, opus abrumpere, suo tempore resumendum & denuo tentandum. Altera dilatae continuationis ratio est, quod, etsi primo die bis continenter eodem loco immotus steterit mercurius, non idcirco puncta firma & fixa teneri compererim. Juvat ex plurimis experimentis eam in rem factis aliqua hic adducere, unde & cetera, quae de his punctis haecenus differuimus, majore lucē perfundentur.

*Experimentum I.* Die 24 Octobris anni 1780 quatuor hygrometra A, B, C, D, modo supra indicato constructa & praeparata, in aquam glaciale ad tubum usque immerfi. Mercurius post horae circiter spatium descendere in omnibus desivit; puncta, ubi substitit, filo notavi. Instrumenta inde extracta in aquam tepidam (25 scilicet graduum) immediate immisi, & puncta, quibus mercurius immotus inhaerebat, filo pariter signavi. Aëri postquam illa horae quadrantem commiseram, in aquam glaciale reposui. Mercurius in omnibus infra filum descendit; substitit autem & in tepida infra filum. Nova haec puncta cum novis filis distinxissem, interceptum inter ea spatium omnino aequale reperi illi, quod inter fila vetera intercedebat. Haec observatio constanter eadem in omnibus hygrometris nondum vitiatis erat. Post horae quadrantem, quo illa aëri exposueram, aquae glaciale & tepidae, ut ante, immerfi; & in utraque mercurius ad nova fila substitit, ad quae etiam, quod notatu dignum est, eodem fere temporis momento pervenerat.

Ex

\*) Addendus in tubo vel auferendus est mercurius, ut punctum glaciale haud procul a caule absit. Mercurium additurus extremo tubi cucillum papyraceum illigo, mercurium infundo, & immisso filo ferreo portionem per tubum detrudo. Columnam mercurialem imminutus partem inde fili ferrei ope separo & educo. Ambo puncta fixa tenuissimis filis sericis tubo circumductis noto, quae cultello, ubi opus est, vel deprimo vel attollo.

Ex aqua tepida extracta immediate in glaciale denuo collocavi. In hac tantum A, B, C, & quidem inaequali tempore, ad fila nova remearunt, D vero paulo supra suum substitit. In aqua tepida tria illa ad fila nova eodem tempore delata substiterunt, D autem tanto spatio supra suum ascendit, quanto supra filum glaciale haeserat. D aqua cum ceteris exemptum cum propius perlustrassem, tenuissimas hinc inde guttulas aqueas mercurium inter & calamum deprehendi, cujusmodi in A, B, C detegere nullas potui, ex quo causa discriminis inter ea reperti eluxit. Refectis veteribus filis quatuor haec hygrometra cum 6 aliis, in quibus puncta fixa eodem modo quaesita notaveram, sub tabulato turris, quo permeanti aëri liber aditus, nullus vero pluviae patebat, ad eandem trabem ordine supendi.

*Experimentum II.* Sexto post die, 30 scilicet Octobris, eadem hygrometra A, B, C, D, cum media reliquorum parte, examini denuo subjicienda sumsi. Sed claritatis gratia de solis istis quatuor loquar. Haec igitur more solito (p. 73) denuo praeparata aquae glaciale immerfi, in qua circiter integram, ut supra, horam descendere perrexerunt. Supra filum glaciale omnia substitere. Ex hac aqua in tepidam immediate immisi, in qua post septem octove minuta moveri cuncta desiere, filum vero suum nullum attigerat \*). Aqua tepida exempta in glaciale iterum immerfi. Hic 10 intra minuta ad fila seu puncta glaciale omnia pervenerant, & 35 adhuc minutis lente descendebant, donec aequali fere spatio infra illa subsisterent. Ad nova haec puncta fila adduxi. Post haec in tepidam reposui hygrometra. In hac quoque infra fila sua substiterunt \*\*), quae proinde similiter depressi. Hoc tempore nihil adhuc aquae in calamis spectabatur. Sed & ea, quam D nuper hauserat, interea disparuit, cum sub tabulato suspensa instrumenta haerent. An evaporatione fuerit dilapsa, an per totam calami superficiem internam aequabiliter interim distributa visum fugerit, incertum est. Quanquam evaporatio ex iis, quae infra adferentur, experimentis paulo plus verisimilitudinis consequi videatur. Ex aqua tepida in glaciale hygrometra denuo immisi, in qua nunc multo lentius quam secunda vice descenderunt. B & C primum post horae spatium nova puncta glaciale attigere, A & D supra illa immota haeserunt. Inspectis singulis duo posteriora parum aquae imbibisse observavi, priora duo nihil. In aquam tepidam cum omnia simul reposuissem, A & D fila sua, quod consequens erat, superabant; B & C suis exacte insisterant.

K 2

Expe-

\*) Si hygrometrum, in quo ambo puncta fixa rite capta fuere, in aquam seu glaciale seu tepidam post unum pluresve dies reposueris, ad fila illud sua prima vice plerumque non redire observabis.

\*\*) Hinc ea patent, quae de punctis fixis prima die determinatis supra (pag. 74) diximus.

*Experimentum III.* Exploraturus, quoties & sub quibus rerum adjunctis puncta fixa semel capta iterum inveniri possent, duo selegi optimae notae hygrometra, alterum F, multo jam usu exercitatum, alterum G, recens adhuc, sed pari cura constructum. Haec itaque praemissa solita praeparatione, quam posthac semper subintelligi velim,

Die 4 Novembris immisi 1) in aquam glaciale  $\frac{5}{4}$  hor., in tepidam 12 min.; 2) in glaciale 38 m., in tepidam 10 m.; 3) in glaciale  $\frac{3}{4}$  h., in tepidam 8 m. *Effectus.* 1) F in utraque aqua intra fila sua substitit, in G puncta primum notavi; 2) infra fila glacialia ambo descenderunt, itemque ambo infra fila superiora substitere; 3) iisdem punctis, quibus secunda vice, utrumque inhaesit. In neutro calamorum aqua adhuc apparebat.

Die 6 Novembris immerfi ambo hygrometra 1) aquae glaciali 58 m., tepidae 8 m.; 2) glaciali 36 m., tepidae 13 m.; 3) glaciali 49 m., tepidae 10 m. *Effectus.* Hygrometrum F 1) filum inferius omnino attigit, non superius; 2) infra filum glaciale descendit, & infra filum tepidae quoque immotum stetit, unde duo nova fila juxta vetera firmavi; 3) novis hisce filis exacte inhaesit. Horum distantia veterum filorum distantiam omnino aequabat. Hygrometrum G 1) ad filum glaciale descendit, at infra superius stetit; 2) iterum ad filum glaciale descendit, & filum tepidae attigit; 3) supra filum inferius circiter  $\frac{2}{3}$  lineae Parisinae substitit, superius autem pari spatio superavit. Lustratus calamus parum haustae aquae exhibebat, quae instrumento in aëre collocato sensim disperebat. Idem in omnibus aliis calamis, per quos nonnihil aquae penetraverat, constanter observavi. Postero enim die ad perfequendum periculum protracti tam laeves apparebant, quasi nullam aquae particulam umquam bibissent.

Die 7 Novembris hygrometra mea collocavi 1) in aqua glaciali 1 h. 12 m., in tepida 5 m.; 2) in glaciali 40 m., in tepida 8 m.; 3) in glaciali 45 m., in tepida 6 m. *Effectus.* F 1) in utraque aqua intra nova fila haesit (vetera jam sustuli), 2) infra filum glaciale delapsus est, quod eo usque depressi, stetit autem & aequali spatio infra filum tepidae, quod similiter depressi; 3) paulo supra filum glaciali substitit, at supra filum tepidae pariter ascendit. Particulae aquae in caule videbantur. Hygrometrum G 1) pariter intra fila sua bis substitit; 2) circiter  $\frac{2}{3}$  lineae infra filum glaciale descendit, & infra filum tepidae tantundem institit, quae duo nova puncta novis filis notavi, veteribus resectis; 3) in utraque aqua supra nova fila stetit. Et hic caulis nonnihil aquae hauserat.

Die 8 Novembris utrumque merfi 1) in aquam glaciale 1 h. 5 m., in tepidam 6 m.; 2) in glaciale 38 m., in tepidam 14 m.; 3) in glaciale 45 m., in tepidam 9 m. *Effectus.* F 1) neutrum filum attigit; 2) ad utrumque filum substitit; 3) pari intervallo su-

pra

pra inferius superiusque filum inhaesit. Ros aqueus tenuissimus hinc inde in caule conspiciatur. G 1) bis intra fila haesit; 2) ad filum utrumque exacte pervenit; 3) altius utroque filo stetit. In hoc calamo similem rorem, ut in altero, videre erat.

Die 9 Novembris ambo reposui 1) in aquam glaciale 1 h. 15 m., in tepidam 6 m., 2) in glaciale 54 m., in tepidam 9 m. *Effectus.* F 1) in utraque aqua intra fila institit; 2) ad utrumque filum exactissime pervenit. G 1) neutrum filum attigit, 2) utriusque filum immotum inhaesit. Tertium hodie hygrometra in aquam non immisi propterea, quod ad fila sua non esse reditura perfectum habebam.

Similia experimenta aliis atque aliis adhibitis hygrometris usque ad diem 21 Decembris eandem in rem quotidie institui. Ex paucis, quae attulimus, satis apparet, puncta fixa in hujus generis hygrometris, aquae glacialis & tepidae ope, revera inveniri posse, sed opus pluribus diebus esse continuandum, id quod cum physicorum nemo, quod sciam, haec fecerit, dubitandum merito est, an in ullo hygrometrorum, quae ab iis fabricata fuere, veri nominis punctum fixum reperitur.

Reliquum est, ut de scala hujus instrumenti loquamur, quam in spatio inter puncta fixa comprehenso, velut in thermometris, construendam esse nemo est, qui ignoret. Hoc spatium clarissimus *Rezsus*, ut modo supra monui, in 5 gradus partitur, sequenti experimento nixus. Duobus punctis fixis, inquit, rite notatis, si ambo instrumenta, thermometer scilicet (quo ad metiendum aquae calorem semper opus est) & hygrometrum, in aqua tepida, dum refrixerit, relinquantur, constanter videbis, thermometer a 25° ad 20° delapso hygrometrum per quintam spatii, quod diximus, intercepti partem descendisse; ubi thermometer ad 15° pervenerit, hygrometrum  $\frac{2}{5}$  ejus intervalli partes fuisse emensum, atque ita porro. Inde liquere ait, eam caloris variationem, quae thermometer viam 5 graduum conficere cogit, hygrometrum per quintam integrae scalae partem promovere; hanc igitur recte in 5 partes dividi, ac pro quinque quibusque gradibus thermometricis gradum unum hygrometro vel addendum vel subtrahendum esse, prout thermometer vel infra vel supra zerum constiterit.

Ut fatear, quod res est, hoc experimentum & saepe numero & variis modis a me tentatum dissimilem semper exitum habuit. Captis enim, quo oportuit modo, punctis fixis, ubi calamos diutius in aqua reliqui, plerumque partem inde biberunt, quemadmodum in experimento tertio supra adducto factum est. Hausta vero haec aqua totum deinde experimentum, ut debuit, inutile reddidit. Quod si etiam in caulem incidi, qui determinatis hinc punctis ingressi aquae, cui porro immergebatur, fat diu resisteret, me-

K 3

curius

curius tamen in ambobus instrumentis lege a cl. *Retzio* indicata numquam descendit. Haec igitur scalae divisio jure suspecta habenda est. Eam tamen nihil mutam in hygrometris meis retinui, donec certius aliquid hac de re constiterit, quam in aëre omnis humoris experte, quem dephlogificatum appellant, periclitandam esse doctissimus eques *Landriviani* datis ad me literis non incongrue censet; & tunc reductio observationum, quas interim continuabimus, fieri poterit.

Tabulam ligneam, in qua instrumentum firmavi, eo loco, ubi caulis situs est, excandam curavi, quo aër illum ambire totum posset. Tubum, ut oportuit, apertum reliqui. Si enim hermetice clauderetur, quod fieri forsan posse cl. *Copineau* \*) arbitratur, vel aër ex parte ejus superiore, quemadmodum in clausis thermometris, exturbaretur, vel inibi relinqueretur. Primum si fieret, aër exterior molli caule compresso mercurium in tubo attolleret, quae res, ut quisque facile perspiciet, omnes humorum siccitatisque effectus everteret. Si fiat alterum, aër iste internus ascendenti mercurio obsistet, ac proinde actionem siccitatis impedit, ut taceam, mutationem in altitudine mercurii, vel humoribus atmosphaerae non mutatis, toties fieri debere, quoties aequilibrium tolleretur, quod eo tempore, quo tubus claudebatur, inter aërem internum & externum intercedebat. Ex hac tamen ipsa tubi apertura idem vitium in hygrometrum manat, quo aperta thermometra laborare supra (pag. 66) fufius demonstravi.

Ob eos, quos hucusque in hygrometro nostro exposui defectus, melius hujus generis perfectiusque instrumentum quisque meteorologiae cultor vehementer exoptabit. Haec ipsa res academiam nostram nuper impulit, ut sequentem quaestionem publice proponeret: *Invenire hygrometrum comparabile, cujus puncta fixa & certa sint, & dum instrumentum conficitur, sine magna difficultate determinari possint; cujus sensibilitas processu temporis notabiliter non mutetur, in quo effectus caloris & certa & facili regula subtrahi possit; cujus denique pretium non sit immodicum.*

Utcunque autem hygrometrum nostrum comparatum sit, juxta thermometrum libero aëri expositum ita suspendendum est, ut non tantum a radiis solaribus seu directis seu reflexis, sed etiam a pluvia sit tutum.

## Declinatorium.

Statum & variationes atmosphaerae in declinationem acus magneticae non minus quam in ascensum descensumque mercurii in diversis instrumentis influere, res est cum aliis mul-

\*) Mémoire sur l'Hygrometre page 5, art. second.

tis, tum & mihi, ex quo observo, indubiis argumentis comprobata. Quare animum huc atque oculos nunquam fatis intendere naturae inquisitores possunt. Acus mea, uti & eae omnes, quas observatoribus suis societas nostra subministrat, 8 digitos Parisinos longae, duas lineas latae, dimidiam crassae, utroque extremo acuminatae (fig. 17), & a celebri ac peritissimo artifice *Georgio Friderico Brander* cum toto apparatu eo spectante fabricatae sunt \*). A (fig. 18) tabula est marmorea quadrata oblonga, in cujus parte septemtrionali arcus in 60 gradus divisus reperitur. B theca est oblonga ex ligno praefanti, *Mahogany* dicto \*\*), in qua acus stilo chalybeo aculeato, in centro tabulae marmoreae erecto, inposita liberrime movetur. Fit haec acus suspensio mediante pileolo coniformi M (fig. 17) ex achate, quo in medio alterutrius angulorum laterum instructa est.

Quo acus a pulvere & fordibus, praecipue autem ab impulsibus aëris, tuta servetur, theca vitro probe quadrante tecta, vitrum vero ipsum crate orichalcea affabre pertusa & elaborata adstrictum est. Latus hujus thecae angustum boreale ligni loco tabula constat vitrea C, linea perpendiculari perquam subtili in medio distincta, & acumini acus admodum propinqua. Juxta hoc latus, sed extra thecam, speculum D firmatum est, in quo linea vitro incisa & acumen acus distincte cerni possunt. Tota haec theca una cum dicto speculo laminae orichalcae velut basi inhaeret, quacum circum centrum acus seu stilum, quo haec sustentatur, ex oriente in occidentem, & vice versa, in tabula marmorea moveri potest.

Haec lamina ex parte thecae boreali usque ad memoratum supra arcum excurrit, ubi Nonio distincta est, ad indicanda declinationis minuta destinato. Est autem Nonius sequenti modo comparatus. Gradus 21 arcus circularis tabulae marmoreae inscripti in lamina orichalcea seu regula in partes 20 sunt divisi. Pars igitur quaevis regulae five Nonii gradum arcus circularis parte gradus 20ma, seu 3 minutis excedit. Zerus five linea media Nonii nota arithmetica 60 insignita est. Ab utraque hujus lineae parte 10 aliae lineae reperiuntur, quarum quaelibet trinis minutis aequivalet, unde earum extremis numerus 30 adscriptus est.

Ad

\*) Descriptionem hujus instrumenti ipse autor publici juris fecit.

\*\*\*) Lignum praefendum est aurichalco, quia hoc communiter particulas continet martiales, acui maxime nocivas, id quod exemplo notatu digno ipse compertus sum. Theca primi, quo usus sum, instrumenti declinatorii aurichalcea erat. In hujus alterutrum angulum quoties acum suspensam clave eminens oblata e meridiana sua adduxi, aurichalco quasi affixa haesit, nec sponte sua unquam inde rediit, quanquam extra eam thecam suspensa ad locum suum, quocumque ducta, semper remearet.

Ad hoc instrumentum rite collocandum in medio musaeo meteorologico, lapidibus quadratis strato, pedem lapideum L C (fig. 19) erigi curavi, 4 pedes altum, & pedem crassum, ab omni ferrea supellectile 5 pedes cum dimidio circumquaque remotum. In hunc parte superiore aliquantum exsectum tabulam marmoream juxta lineam meridianam exactissime ductam, situ horizontali imposui \*).

Declinationem observaturus thecam mobilem lente circumago, donec cuspis acus borea lineae vitro opposito incisae exacte respondeat. Explorandi gratia, utrum acus recto stet loco, eam theca leniter digito concussa in tremorem ago, quo facto observo, an eo redeat, ubi haeserat. Tum Nonium inspicio. Hujus linea media in gradum arcus integrum exacte incidente declinatio minorum expers ex ipso, qui huic gradui adscriptus est, numero tota patet. Ubi gradum integrum haec linea transiit, id, quod ultra est, in minutis reperitur eam Nonii lineam noto, quae cum aliquo arcus gradu omnino coincidit. Si haec inter decem orientales est, residuum declinationis  $\frac{1}{2}$  gradu minus est; si inter decem occidentales existit, illud  $\frac{1}{2}$  gradum excedit. Initium numerandi in primo casu a Nonii Zero, in altero a nota 30 occidentali duco, in utroque autem usque ad lineam coincidentem pergo, singulis, quas transeo, lineis tria tribuens minuta. Ubi declinationis residuum  $\frac{1}{2}$  gradum aequat, ambae lineae nota 30 signatae duobus arcus gradibus respondent. Fit autem quandoque, ut nulla Nonii linea in aliquem arcus gradum omnino incidat, quo casu quid ei, quae proxime accesserit, ex tribus minutis conveniat, nudo oculo haud difficulter aestimatur.

## Anemometrum.

In tabulato turris planae, quae unam alarum palatii electoralis terminat, tignus ligneus quadratus A B (fig. 20), 10 pedes longus, & 6 pollices crassus, in firmam trabem perpendiculariter insertus est, tribusque parastatis ligneis *c d* sustinetur. E F pertica est ferrea quadrata, duos digitos crassa, in crenam tigni jam dicti immissa, ad quem tribus cochleis firmatur. Tignum pertica 10 adhuc pedibus superat, quatuor sustentata anteridibus *m n*, ex laminis ferreis constantibus, quae cochleis in *m* magis minusve tendi possunt. Hic tignus una cum pertica cochleis sibi adstricta fulcri loco est machinae. Id si totum ex ligno confectum ad tantam altitudinem affurrexisset, ventorum vi nimis expositum fuisset.

GH

\*) Lineam meridianam non procul a musaeo meteorologico in loco aperto tabulae lapideae ad libellam collocatae ope quadrantis solaris a laudato supra Branderio eum in finem confecti inscripti. Instrumento huic lineae imposito cum declinationem notassem, illud in pede cum eadem declinatione collocavi & firmavi.

GH est vexillum, seu index venti bractea, ex lamina ferri crassiore confecta, tres pedes longa, unum & dimidium pedem lata & deaurata. Globus plumbeus in H pro aequipondio est. Bractea vicinas palatii partes omnes longe supereminet, ventis undequaque libere exposita, atque ad perticam ferream rotundam, quam *vexilliferam* appellabimus, ita firmata, ut unam quodammodo partem cum ea constituat, ac in gyrum una cum illa vertatur. Haec pertica, cujus partem I K adhuc in figura prima videre est,  $\frac{3}{4}$  digiti crassa ad 49 pedum longitudinem (hanc locus ita definit) per turrem in musaeum omnino perpendiculariter descendit; quem in finem superiorum conclavium laquearia & pavimenta convenienter perforata sunt. Diameter horum foraminum  $1\frac{1}{2}$  est pollicis, ut ne pertica labris eorum affricta suo in motu impediatur. Ne vero & pluvia hos per meatus delabatur, in K, ubi pertica vexillifera tabulatum turris penetrat, duo infundibula metallica inversa seu duo coni concavi adaptati sunt, quorum inferior ad tabulatum firmatus in apice rotundo pertusus est foramine, in quo pertica libere movetur. Conus superior, qui mediam inferioris partem tegit, ferrumine cum ipsa conjunctus est pertica, quacum circumagitur.

Ut pertica vexillifera in suo situ perpendiculari contineatur, per plures descendit annulos quadratos, partim ad tignum supra descriptum, partim in ipsa turri ad parietem firmatos. Horum aliquos figura 20 in E & p, alios figura 21, machinae continuationem exhibens, in M ob oculos ponit. Annuli E & M, id est, primus & ultimus, prope duo perticae extrema reperiuntur, quo huic plus firmitatis tribuant; a reliquis etiam annulis, quorum unus in p (fig. 20) occurrit, aliquantum differunt. Hi posteriores non alia re constant quam fibula ferrea, parte averfa interiore probe excavata, per cujus dentes stillus curate politus trajectus est. In duobus vero, quos dixi, annulis (vide fig. 22.) duo parallelepipeda exsecta R, quorum cavitates conjunctae sphaeram diametri pollicaris formant, intra dentes immissa sunt, atque obdito pessulo O retinentur, pessulus vero duobus stillis firmatur.

Quadrante pollicis infra ultimum annulum nodus orbicularis B (fig. 21), parte superiore planus & laevigatus cum pertica vexillifera cohaeret, ne ventus eam e patella e eijcere possit. Patella haec, uti & ipsum perticae extremum inferius, ex chalybe est, ad haec non cava sed plana, quo frictio minuatur. Eundem in finem superficies perticae inferna, qua patellae insidet, non plana sed sphaerica est figura. Atque haec cautio, uti alia omnis ad diminuendam frictioem adhibita id revera effecit, ut machina ad motum perquam sit prona, quo longitudo bractee vestem referentis non parum confert.

Foramen ultimum, per quod pertica vexillifera transit, fellae inest *a b* (fig. 21), in patella firmatae. Ipsa patella fulcro ligneo F G ad libellam exacte collocato cochleis affixa est, fulcrum vero clavi per ambo ejus extrema adacti in sustentaculo immobili A L C D firmant. K rota est orichalcea diametri trium pollicum & dimidii, dentibus 46 probe politis

L

politae & aequalibus instructa, & ad perticam vexilliferam horizontaliter firmata. E alia est rota, priori per omnia similis, praeter situm, quem habet perpendicularem. Haec inserta est axi P (fig. 23), qui per foramen parietis trajectus altera sui extremitate in lamina *h l*, patellae saepe jam dictae cochleis affixa, altera in centro tabulae ventorum (fig. 24) circumvertitur. In hac tabula 16 notati sunt venti, quos index *n d*, axis extremo affixus, monstrat. Majore eorum numero physicus ad observationes suas non habet opus. Attamen clare apparet, quando index inter duas tabulae flammam consistit, quapropter venti 32 numerari facile possunt.

Quodsi jam ventus vexillum in motum egerit, una pertica vexillifera, & cum hac quoque rota K circumagatur. Haec dentibus suis excipiet dentes rotae E, quam proinde una cum axe & indice ad parem motum adiget. Fatendum, hunc motum faciliorem adhuc fuisse, si pertica vexillifera, nulla rota interveniente, ipsi ventorum tabulae, horizontaliter collocatae, mediae insisteret, indicem prope extremum suum inferius gerens.

Index ut in tabula ventorum prima vice rite collocaretur, linea meridiana opus erat, sine hac enim qui nosci vera plaga posset, ex qua ventus spiret? Hac igitur linea per axem perticae vexilliferae in tabulato turris ducta adiutorem jussi ad bracteam ascendere, perpendiculum ex ea suspendere, illamque tam diu vertere, donec perpendiculum in partem lineae meridianae australem exacte incideret, quo facto adiutori alteri ad tabulam ventorum in musaeo consistenti allisa ad perticam clave signum dedi, ut indicem ad N, hoc est, Nord seu boream adduceret. Post haec verti bracteam jussi, donec perpendiculum septentrionali meridianae parti insisteret; tum monitus adiutor videre debuit, utrum index literam S, id est, Süd sive austrum, examuffim notaret, quod etiam reapse ita esse repertum est; atque hac ratione anemometrum ad finem perductum erat.

Sed haec machina, ut facile videre est, tantum indicandae venti directioni inservit. Inter anemometra, quae simul vim venti notent, nullum hactenus mihi occurrit, quod votis meis ex omni parte responderit. Illud, quod comes *Ons-en-Bray* regiae scientiarum societati Parisinae anno 1734 obtulit, multo quidem ingenio conflatum, at nimis compositum est. Novissime praestantissimi Viri *de Dalberg* Erfordiensis, *Calvi* Mediolanensis, *Landriani* item Mediolanensis, & *Toaldo* Paduanus alias hujusmodi machinas invenere, quas nondum examinavi. Interea temporis, dum unam aliquam satis aptam construere curavero, vires venti recepto apud multos usu in 4 dividam gradus, pagina Moniti quarta (§ VI) descriptos.

## Hyetometrum.

In eodem turris tabulato, in quo fulcrum anemometri collocatum est, libere & situ exacte horizon-

horizontali exposita est arca orichalcea A B (fig. 25), quo in situ ut fervetur, in quatuor, quibus instructa est, pedibus ad tabulati trabes cochleis firmata est. Ne forte pedum allisu a praetereuntibus damno afficiatur, parva crate lignea M N est circumseptata. Secundum spatium suum internum duos pedes est longa, totidem lata, & 6 circiter digitos profunda. Quo tempore pluviam excipere non lubet, claudi operculo K potest. Fundus ejus e quatuor coagmentata est partibus, versus foramen *l*, quod in centro est, inclinatis, ut omnis aqua sine residuo illuc fluat. Hanc aperturam excipit tubus plumbeus *f g*, cujus interior diameter  $1\frac{1}{2}$  est pollicis. Hic in X per parietem in musaeum penetrat, ubi sine orichalceo terminatus aquam per apertum epistomium effundit. Q receptaculum est quadratum ex aurichalco, pedem circiter quaqua parte extensum, in quod aqua pluvia arcae superiori A B illapsa ocyus descendit, quiescit hic persistens, donec per epistomium emittatur. Quoniam hoc receptaculum ex omnibus partibus clausum est, iis duntaxat exceptis, ubi afferruminatus tubus plumbeus ei jungitur: evaporationi aquae, quod ad rei caput pertinet, hac ratione anteversum est. Ad metiendam aquam (metior autem quotidie, quando pluit, hora 2 pomeridiana) spectat vasculum cubiforme R, ex crasso orichalco confectum, cujus capacitas 27 pollices cubicos aequat. Superficies interna quatuor ejus parietum ab imo ad summum circumcirca in lineas divisa est. Ne aqua inaequaliter in eo elevetur, tabulae lignae O S ad parietem secundum dioptram firmatae impositum est. Ut vero jam innotescat, quantum pluviae 24 horarum spatio in superficiem 4 pedum quadratorum, hoc est, in arcam A B deciderit, tantum altitudinem notare opus est, ad quam aqua per epistomium emissa in vasculo R affurgit, in hoc enim linea una partem lineae 64 tam in arca A B adaequat, si haec fundum haberet planum, horizontalem, & non perforatum, atque aqua in eo persisteret. En demonstrationem. Basis arcae aequalis est 4 pedibus quadratis = 576 digitis quadratis = 82944 lineis quadratis, quae in altitudinem unius lineae ductae capacitatem efficiunt 82944 linearum cubicarum. Basis vasculi R est = 9 digitis quadratis = 1296 lineis quadratis, quae per 64 linearum altitudinem multiplicatae lineas dant cubicas 82944, uti supra.

Ut pluviam congelatam, id est, nivem grandinemve rite liceat metiri, eam prius fundere oportet. Id ope separati vasis orichalcei K L (fig. 26) efficio. Collecta nive vas claudio, & ardenti foculo impono; liquefacta nive illud ab igne removeo, & frigescere aquam sino, ne, dum emittitur, nimis evaporet. Fundus vasis atque epistomium M ita comparata sunt, ut aqua omnis effluat, quin necessum sit, vas in latus inclinare. Notandum tamen est, quoniam nix in Arca A B (fig. 25) manet, donec colligatur, eam interea temporis detrimentum aliquod evaporando pati, quod vitari non potest.

Qui laborem non refugit, tempore pluvio quotidie ad ipsum se locum conferendi, in quo pluvia in vas expositum incidit, is hyetometro multo simpliciore & minoris pretii uti poterit. Hoc ex vase constat regulari, interius, adinstar vasculi R (fig. 25), in lineas di-



vifo, cui infundibulum inhaeret pyramidale, aperturam habens notae dimensionis, dimidii v. gr. aut integri pedis quadrati. Apici infundibuli afferruminatus est annulus vietiarius ex metallo, vas subditum arte complectens. Foramen, quod cum dictum apicem tum annuli medium pertundit, & quod aquam in vas transmittit, perexiguum, duarum v. gr. triumve linearum, sit oportet, ut evaporatio aquae, quantum fieri potest, impediatur. Detur autem vasi forma quadrata, ex. gr. cubi aut parallelepipedo, non cylindrica, quoniam prioris quam posterioris formae capacitas exactius definiri potest. Percommodum foret, si vas ex albo mundoque vitro paratum, aut vitrea saltem lamella uni ejus parieti inserta esset, quia tum externa superficie & fieri divisio & observari altitudo aquae posset. Sed quacunque demum ex materie conficiatur, loco plane libero, ubi incidenti pluviae nihil ulla parte obstat, & firmiter & ad libellam exponendum est. Ceterum hoc hyetometrum id cum superius descripto commune non habet, quod ejus ope pluviam vel modicam facile liceat metiri. Si haec enim in terrae superficie partem lineae v. gr. 32dam tantum aequaret, in vase supposito, nisi oppido parvum sit, sub oculos vix caderet, in vase autem R ad 2 linearum integrarum altitudinem ascenderet, si tamen guttulas inde demferis in via hinc inde relictas. Sed incommodum vel vitium potius ejusmodi vasorum, quae sub dio posita receptaculum pluviae simul & mensura existunt, illud praecipuum est, quod hyemali tempore aqua in iis forte congelante vel rumpantur, maxime si vitrea sint, vel, si firmiore ex materia constiterint, quandoque distendantur & formam amittant.

Sunt, qui pluviam libra examinant, atque ejus altitudinem ex pondere invento aestimant, quae ratio, etsi nec difficultate nec omni plane vitio careat, minime contemnenda est.

Praeclaram nuper machinam, *chronhyetometrum* dictam, cl. eques *Landriani* invenit. Ea non tantum tempora, quibus pluit, sed & copiam pluviae, quae quovis tempore cecidit, per se notat \*).

Aquarum in fluminibus incrementum decrementumque magnam habent cum pluviae copia conjunctionem. Quapropter altitudinem Rheni, quae cura magistratus militaris hujus urbis quotidie juxta Moniti § VII diligenter notatur, observationibus meis meteorologicis adjungam.

## Atmidometrum.

Quoniam pluvia, quae e coelo ad nos decedit, e tellure ascendit, ac praecipue ex aquae evaporatione oritur, etiam hanc convenit metiri evaporationem, ut id, quod terra dat, cum eo, quod recipit, comparari possit. Instrumentum huic fini inserviens, quo aliquo tempo-

\*) Opuscoli fisico-chimici del cavaliere *Marsilio Landriani*, Milano 1781, p. 21.

tempore sum usus, vas est cubicum ex orichalco, interiore facie 4 pollices in omnem partem extensum, quae mensura hic, ut in vasis superioribus, est arbitraria. Quatuor ejus latera parte interna in pollices lineasque sunt divisa. Vas deinde aliud consimile parandum curavi, cujus uni parieti lamellam ex vitro mundissimo, ejusdemque cum pariete crassitudinis inserui, per quod altitudo aquae exterius observari potest. Figura 27 totum hoc exhibet atmidometrum. A B lamina est orichalcea cochleis vasi affixa, atque in pollices lineasque divisa. C D Nonius est, ei similis, quem in barometris descripsimus, praeterquam 1) quod index lamellae vitreae imminens rectus sit, 2) quod hic Nonius non, ut ille, in crena, sed super columella E F moveatur, quem in finem ipse excavatus est, & interna parte hinc inde crenam oblongam habet (fig. 28), qua columellam utrimque acuminatam excipit, ad hanc autem elatere in eadem interna parte firmato apprimitur.

Hoc instrumentum ad libellam eo in loco collocatur, ubi & solis radiis & aëri undequaque libere pateat, a vento tamen ita corripit non possit, ut vel evertatur, vel aqua, quam continet, ejiciatur. Illud, quo ego utor, in pinna turris positum est, thecae ferreae cancellatae, plumbo ad lapidem firmatae, ad mediam sui altitudinem immisum. In vas ita expositum ad certam usque altitudinem aqua infunditur pura (pluviatilis praestat), cum aëre, cui committitur, ejusdem circiter temperiei. Die sequente eadem hora observatur, quantum aqua in vase subsederit, atque hoc idem illud est, quod evaporando in auras evasit. Inventum decrementum expletur aqua ad priorem altitudinem affusa. Tempore pluvio subtrahenda est aqua ex atmosphaera vasi illapsa, cujus copiam hyetometrum semper definit. Sed hujus generis atmidometra hyberno tempore periculo cum hyetometris supra (pag. 84) descriptis sunt exposita. Adde, quod si haec vasa glacies etiam non laedat, hujus tamen vera altitudo observari eo non possit, quod, nisi tenuissima sit, ejus superficies nunquam sit plana, sed versus medium communiter in gibbum elata. Quare aqua gelu adstricta observatio fieri hic nulla potest, sed expectandum, donec glacies fuerit soluta, tunc enim sciri minimum poterit, quid ab initio congelationis usque ad regelationem in auras abierit. Praestantis atmidometri genus hoc anno cum orbe litterato communicavit clarissimus *Moscatti*, Mediolani regius professor, cujus ope id, quod aqua evaporatione amisit, pondere aestimatur \*).

## Electrometrum Atmosphaericum.

Pertica ferrea B D (fig. 29), quatuor pedes longa & pollicem cum quadrante crassa, in  
L 3 pin-

\*) Lettera del regio professore D. Pietro Moscati al chiarissimo sig. di Sauffure, che contiene la descrizione d'un Atmidometro e d'altre macchine attinenti alla meteorologia.

pinnam turris lapideam ad perpendicularum immiffa & affuso plumbo firmata est. Quatuor ad haec fulta est anteridibus ferreis *B M*, quae earum instar, quas figura prima exhibet, cochleis intendi pro arbitrio & remitti possunt. Cum hac pertica, quae machinae fulcimentum est, in sui medio cochlea junctus est discus orichalceus *f g*, cujus diameter 5 est pollicum,  $\frac{3}{4}$  pollicis crassitudo. Figura 30 tres repraesentat columnas vitreas *l l l*,  $1\frac{1}{2}$  pedem longas, ac digitum  $1\frac{1}{2}$  crassas. Ambo earum extrema intercedente lithocola inserta sunt in crassas, tresque digitos longas armillas *o o o*, quarum axiculi e centro prominentes per discos *f g* transeunt, ibidemque cuneolis probe sunt firmati. Inferius hi cunei immediate infra discum, superius autem supra pileum *S* per dictos axiculos trajecti sunt. Quem jam nominavimus pileum, ex firma lamina ferrea confectus est; ejus amplitudo parte infima 2 est pedum & 4 digitorum, descenditque usque ad initium armillarum inferiorum, a quibus circum undique 12 pollicibus abest. Ob ambitum suum non modicum magno aëris flumini obstat. Quare cum metuerem, ne unica ejusmodi columna vitrea, tantae licet crassitudinis, flante vento vehementiore rumperetur: earum tres adhibui, atque dicto modo firmavi.

*C p* pertica est ferrea, inferius  $\frac{3}{4}$  pollicis crassa, & sursum sensim attenuata, quae in *C* cuprea cuspide terminatur. Quoniam proprie vehiculum est fulminis seu materiae electricae, *pertica fulminea* appellari jure poterit. Ejus longitudo 16 est pedum, & 4 ad huc pedibus supereminet perticam vexilliferam, a qua haud amplius 10 pedibus abest, ejus autem cuspis a solo pedibus  $97\frac{1}{2}$  distat. Extremum ejus inferius in medium discum superiorem *f g*, pileo subjectum, ope cochleae insertum est. Foramen, quod ei viam per pileum facit, plumbo ubique magna cura obturatum est, ne pluvia per illud ad columnas vitreas penetret. Par cautio adhibita est in aperturis, quibus superiorum armillarum axiculi per pileum transeunt.

*A K* est pertica ferrea, tres quartas digiti partes crassa, cum pertica fulminea duarum ope fibularum in *p* & *g* junctae, & duobus cuneolis per has fibulas trajectis firmata. Gestorem eam vocabimus, quia filum cupreum *K F*, altero extremo sibi insertum, & cochlea secum cohaerentem, gestat sive sustinet. Hoc filum, quod 5 lineas crassum est, multo autem tenuius esse posset, in exteriori palatii parte libere descendit, pedem ubique ab illo distans. Ubi ex adverso fenestrae musaei meteorologici pendet, ad extremum alterius gestoris *a b* (fig. 31) firmatum est. Gestor hic, veluti superior ille, rotunda est pertica ferrea, per fenestram in musaeum situ horizontali immiffa. Eum probe firmare opus erat, partim, ut descendens filum cupreum sua in directione contineretur, partim ne fenestra agitatione perticae, quae oriri a vento posset, damnum pateretur. Istud porro sequenti modo effectum datum est. Quatuor rhombos superiores unius alae fenestrae una cum cruce lignea eos sustinente eximendos, illisque unicum rhombum *C D*, duos pedes longum & ferme t. t. idem latum (quem tamen tantum esse haud opus fuisset), substituendum curavi. Hic in sui medio rotundo pertusus est foramine *K*, 3 pollices in dia-

diametro continente, quod in utraque rhombi superficie corona lignea *L M* (fig. 32), sex lineas & crassa & lata, maltha firmata cingit. Utrique huic coronae cochleis junctum est fulcrum ferreum *m n*, cujus in cavitate gestor repositus vitrum nec tangit nec frangere illi potest. Ast firmitas gestoris praecipua in altera ejus extremitate *b* est (fig. 31), ubi cum armilla orichalcea columnae vitreae pedalis *h*, in parietem musaei horizontaliter insertae & plumbo solidatae, cochlea tam firmiter junctae est, ut unica hac ope, sine quovis alio fulcro aut sustentaculo, in situ horizontali retineri posset.

In *b* novum incipit fili orichalcei frustum, usque in *g* excurrans, ubi ad perticam ferream *l m*,  $\frac{5}{8}$  digiti crassam, cochlea firmatum est. Perticae huic firmitudinem tribuunt inferius columna vitrea *r*, columnae *h* per omnia similis, superius columna vitrea *t f*, cujus cum armilla cochlea cohaeret. Alia pertica ferrea *f l*, paris cum priore crassitudinis, infra in armillam columnae *f l*, supra in laquear musaei cochleae adminiculo inserta est, ac duobus anteridiis *o p* fulcitur. Haec pertica eum solum in finem adest, ut perticae *l m*, ad conductorem spectanti, plus firmitatis conciliet. Dicta jam pertica *l m* inferiorae sui parte duos habet annulos *m n*. Ex hoc, ubi opus est, suspendi catena potest; per illum virga transit ferrea *t S*, probe laevigata, pollices 18 longa & dimidium crassa, quae in eo huc illuc moveri, ac, quo lubet loco, cochlea firmari potest. In *t* virga haec parvo terminatur annulo, a quo duplex filum lineum, cum duobus globulis ex medulla sambuci, pendet; in *S* cochlea sustinetur globus orichalceus, 2 digitos & dimidium crassus, qui electrometri atmosphaerici partes principes finit.

Qua vero nunc via fulmen in musaeum deducitur? Respondeo, sequenti. Transiente nube fulminea cuspis *C* (fig. 29), ejus atmosphaerae vicina vel immerfa, materiem electricam imbibit, quae deinde metallum, velut corpus deferens, quam longe hoc solitarie positum & non interruptum procedit, cursu suo sequitur. At metallum ab hac cuspide usque ad virgam *t S* (fig. 31) inter se cohaeret, atque columnis vitreis *l l l* (fig. 29), rhombus *C D* (fig. 31), & columnis vitreis *h, r, f l* (fig. 31) ab omnibus aliis corporibus deferentibus disjungitur. Ne vero ingruente pluvia vitrum aëri exteriori expositum madefiat, ac materies electrica per ejus superficiem defluat, columnae *l l l* pileo *S*, rhombus autem *C D*, in suprema parte alae fenestrae de industria delectus, partim projectura lapidea ei imminente, partim ad hanc firmato, pedem lato, & inclinato tectulo ligneo munita sunt. Quo humores diversis hisce vitris minus adhaereant, liquore gummato obdusa sunt. Nihilominus mundo linteo ea subinde tergere expedit. Hunc in finem inter tres columnas *l l l* tantum spatii reliqui, ut manus linteo munita intromitti commode possit. Quod si igitur materia electrica usque ad virgam *t S* defluerit, ejus praesentiam suspensi in *t* globuli illico prodent, cum vel repellant se se, vel saltem corpori propius admoto, v. gr. ungui digiti, adhaerescant, ac cum illo dimoveri se finant. Ubi dictae materiae sat magna adest copia, ex virga *t S* etiam scintillae in manum aliudve corpus deferens oblatum insilient, quibus

& lagena lugdunensis onerari, pulvis pyrius accendi, animalia interim, omniaque illa experimenta institui possunt, quae fieri communi machina electrica solent.

Sed haec experimenta non parvo cum periculo conjuncta sunt, nisi ea, qua par est, circumspicione capiantur. Clarissimus *Richmannus* ea instituturus vitam Petropoli amisit, ut alios taceam naturae scrutatores, qui iis occupati vehementissimis ictibus percussi, & quandoque semianimes humi prostrati sunt. Ut omne periculum a me & simul ab habitaculo meo amoverem, apparatus meo conductorem adunxi, sequenti modo constructum. V (vid. fig. 31 & 33) globus est orichalceus globo S omnino aequalis, in extremum laminae ferreae quadratae V d, probe politae, 6 pollices longae,  $\frac{3}{4}$  pollicis latae, &  $\frac{1}{2}$  pollicis crassae, ope cochleae insertus. Haec lamina annulo suo d aliam complectitur laminam aequalem x u, super qua pro arbitrio promoveri removerique, ac cochlea cohibente i, annulo conjuncta, quo lamina posterior priorem complectitur, firmari potest. Lamina x u extremitate sua u adjunctum sibi habet processum rotundum diametri pollicaris, per parietem musaei transeuntem, & parte averfa cochlea retentum. Ut hic in ipso pariete eo firmior existat, & permeanti materiae electricae abunde sit spatii, pertusus est paries apertura quadrata 4 pollicum, cujus utrumque labrum crusta ferrea A H in medio perforata vestitum est; atque in his crustis positus est dictus processus, quocum eo loco, quo ex pariete prominet, colligata est pertica ferrea B Q, medium digitum crassa, quae in exteriori parlatii facie, ut in aliis conductoribus, per annulos clavorum in parietem firmiter adactorum descendens mediante tubo plumbeo, cui insertus est, terram ad 12 pedum profunditatem subit.

Quoniam igitur globus V admoveri globo S usque ad contactum, ab eoque etiam removeri ad  $\frac{1}{2}$  usque pedis intervallum potest: eum qua liberit distantia, hos inter terminos contenta, ingruente tempestate collocare licet. Scintillae duos dictos inter globos emicantes sua cum celeritate tum magnitudine vim tempestatis aliquo modo indicabunt, certam tamen mensuram suppeditare non possunt. Haec in angulo, quem fila in t (fig. 31) suspensa, & hausta electricitate se fugientia formant, quaeri posse videbatur, sed hunc angulum metiri oppido difficile esse hucusque deprehendi eo, quod fila, cum se mutuo rejiciunt, non tantum ad dextram virgae t S laevamque hinc inde recedant, sed ab ipsa etiam virga antrorsum ultra t ita propellantur attollanturque, ut non raro a situ horizontali parum distent, & in obversos sibi spectatoris oculos valde oblique incidant.

Nil ad determinandas tempestatis vires aut commodius aut exactius hactenus reperi electrometro communi, quod ad machinam quoque electricam adhibere soleo, & modo sequenti construendum curavi. Q (fig. 34) quadrans est vitreus in 90 gradus divisus, lateribus A B & A C alii aequali quadranti vitreo, at non diviso, parallelo situ ita junctus, ut lineae spatio inter se distent. Hos inter medium filum A P, ab axiculo per A trajecto suspensum descendit, quo recta depeadente globulus P, ex medulla sambuci, orbiculum metallicum

metallicum K fulcro C R insertum contingit. Habet hic orbiculus averfa sui parte annulum m, cui innecti bacillus aurichalceus uncinatus aut catena potest. Facta igitur orbiculum inter & virgam t S (fig. 31) communicatione globulus P illico rejicietur, & filum eo, quem notabit gradu, electricitatis vires exacte indicabit.

Sunt, qui quadrante aurichalceo utuntur. Verum cum hic, si cum orbiculo K mediante pede communicet, & ipse electricus reddatur, filum ab eo ad latus identidem rejicietur, quo facto cui gradui respondeat, vix ac ne vix quidem discerni poterit. Huic malo medelam adlaturi quidam pedem rescindentem, vitreum verbi gratia, adhibuere. Sed electricitatis vi paululum intensa sola atmosphaera quadrans fit electricus, nisi instrumentum magno intervallo removeatur, quod fieri sine gravibus incommodis nequit. Etiam quadrantem vitreum atmosphaera similiter electricum reddi & filum repellere saepe numero expertus sum. Hinc duos ejusmodi vitreos quadrantes modo supra indicato adhibui, quos inter filum semper medium consistere debet propterea, quod ab utroque vi pari rejiciatur.

Post haec ratio adhuc habenda erat periculi, quod pertica vexillifera anemometri adferre potuisset. Nam cum haec, ut supra ostendimus, non exiguae sit altitudinis, & vexillum ad eam firmatum, ob incisuram marginis introrsum patentem, in duas horizontales quidem, at praelongas desinat cuspides: jure timendum erat, ne fulmen ab iis olim attractum in palatium descenderet. Hinc fulcrum ferreum paulo longius excurrentis brachii annuli M (fig. 21) cum conductore colligavi. Eundem conductorem, ut nihil non praecaverem, cum tubo plumbeo hyetometri similiter conjunxi.

Cum explicarem hactenus, qua ratione materies electrica ope hujus machinae excipiat, & sub sensus adducatur, verbis ejusmodi brevitatis gratia semper usus sum, ac si illa quavis vice in cuspidem perticae fulmineae influeret, atque a globo S in globum V infili- ret. Verum rem saepe aliter habere, & fulmen e tellure in nubes evibrari notum est. Ut igitur coorta tempestate aut nube fulminea transeunte perspicui possit, utrum horum habeat locum, sequentem apparatus a clarissimo *Le Roy* partem propositum fieri curavi. Y Z (fig. 31) arca lignea quadrata est, pedem in omnem partem extensa, operculo, quod amoveri potest, instructa. In medio unius laterum apertura rotunda est R, diametri 7 pollicum, vitro sandaraca probe illito vestita. Hoc foramine 6 linearum in centro est pertusum, per quod virga ferrea rotunda e R trajecta, & maltha firmata, in ipsa arca cum armilla orichalcea columnae vitreae i P (fig. 35) cohaeret. Cum parte hujus armillae averfa discus orichalceus a, 4 pollices latus, ope stili e sui medio prominentis, cochlea situ perpendiculari conjunctus est. In latere arcae e diametro opposita similis est apertura, similisque virga ferrea c d, quae cum armilla columnae l o, atque haec cum disco orichalceo b simili modo cohaeret. Duo hi disci aurichalcei situ parallelo se spectant, atque uterque sua cuspidem m & n,  $\frac{3}{4}$  pollicis a margine distante, altera superius, inferius altera infi-

xa, armatus est. Columna vitrea *i p* ope cochleae lignae *g h* recta infra aperturam *R* immissae per fulcum in arcae fundo fabricatum moveri potest, quod id commodi adfert, ut cuspides *m n* obversis sibi discis, quam prope opus fuerit, liceat admovere. Arca igitur probe clausa, & ingressu lumini ex omni parte penitus prohibito, globi *S & V* aliquantum a se removentur, atque in *x & n* (fig. 31) catenae suspenduntur, altera cum virga *r R*, altera cum virga *c d* (fig. 35) connectenda. Tum foraminulum in medio alius lateris effectum, & lamina trufatili communiter clausum aperitur, per illudque in arcam introspicitur. Quodsi quidquam ignis electrici adest, is inibi in cuspidibus clare, diversa tamen semper sub forma apparebit: alteri enim lucidus conus, alteri igneum tantum punctum sive stellula insidebit. Horum phaenomenorum prius electricitatis positivae, negativae posterius signum est, uti constat. Si itaque cuspis verbi gratia *n* (fig. 35) lucidum conum exhibet, omnis apparatus cum eo colligatus usque ad perticae fulmineae extremum, adeoque & nubes transiens, igne electrico redundat, qui proinde per conductorem *B Q* in telurem se infundit. Si vero conus luminosus in cuspidem *m*, & stellula in *n* appareat, id indicio est, ignem e terra egredi, atque perticam fulmineam una cum nube sibi imminente in statu electricitatis negativae existere.

Est & aliud medium, duplex hoc electricitatis genus discernendi, priore facilius, sed non ita tutum, nisi cautio adjungatur. Constat quippe, corpora electricitate homogenea donata se se repellere, attrahere vero, ubi electricitas eorum heterogenea existit. Constat item, in vitro lanae v. gr. attrito positivam nasci electricitatem, negativam in sulphure pari ratione trito. Quare ad manum habeo praeter chirothecam laneam tum bacillum sulphureum crassiore, tum tubum vitreum diametri pollicaris, altero extremo hermetice clausum, & liquore gummato interna facie inductum. Cum primum itaque globuli in *t* (fig. 10) suspensi suo a se recessu, aut corpori cuidam atmoto adhaerendo, aliquod electricitatis signum ediderint, iis dictorum corporum alterutrum convenienter tritum offero, & cujus generis electricitate sint imbuti, ex eorum fuga vel accessu facile patebit. Sed cavendum, ne, dum debilis illorum est electricitas, oblatum exploratorium corpus nimis prope admoveatur, tum enim repulsio facile in attractionem & vice versa commutabitur, quod qua ratione fiat, in commentariis rhenanis hoc anno (1781) docui.



# OBSERVATIONES SOCIETATIS METEOROLOGICAE PALATINAE.

# Observationes Manheimenses

AUTORE HEMMERO (pag. 46).

## PROOEMIUM.

Qui comparata sint instrumenta, quibus in observando usus sum, ex descriptione instrumentorum meteorologicorum superius data abunde patet. Monendum tamen, atmidometrum, quod hoc anno adhibui, adhuc vetus illud esse, quod lamella vitrea caret, pagina 85 descriptum, adeoque observationes hoc instrumento institutas non omnes numeros habere propterea, quod aquae defectum oculo oblique deorsum intuenti exacte capere non liceat, atque ex hac ipsa causa partes etiam decimas omnes ex arbitrio observari non potuisse. Ubi lacuna in his observationibus occurrit, signum est, aquam in atmidometro fuisse congelatam, aut congelationis fuisse periculum; at vero & hujus aquae evaporationem olim rite observare studebo.

Observationes magneticas quod attinet, eas adhuc ope declinatorii feci, cujus mihi ex pluribus annis usus, quodque illis, quae societas distribuit, per omnia simile est, praeterquam quod capsula ex aurichalco fit, acus vero ceteris paulo crassior & latior. Declinatio in hoc instrumento quarta circiter gradus parte excedit eam, quam in ceteris societatis declinatoriis hucusque observavi.

Tabula observationum mearum tria exhibent thermometra, *thermometrum internum*, *thermometrum externum I*, *thermometrum externum II*, nominata. Primum illud est, quod tabulae barometri una insertum est (pag. 63); secundum, quod in umbra ante fenestram musaei pendet (pag. 69); tertium, quod in pinna turris, 35 pedibus secundo altius, firmatum, atque ut solis radiis, sic aëri quavis ex parte spiranti, liberrime expositum est (pag. 71). Hoc postremum tantum notavi, 1) hyberno tempore, quando gelavit, mane ante solis ortum; 2) sole splendente hora secunda pomeridiana.

In ferie virium venti nusquam zerum (0) occurrere nemo miretur, perfectam enim malaciam, cujus signum zerus est (pag. 10), numquam inveni.

Quoniam atmosphaerae conditio & vis agendi a loco, ubi observationes fiunt, multum pendent: situm & indolem urbis nostrae, agrique ei conjuncti, paucis describam, antequam ad ipsas, quas hic institui, observationes accedam.

Urbis

## URBIS &amp; Agri Manheimensis situs &amp; indoles.

Manheimium, Palatinatus ad Rhenum per annos jam sexaginta & duos metropo-  
lis & principum sedes, in amplissima situm est planitie, versus boream & austrum in im-  
mensum patente, versus ortum & occasum montibus terminata, hinc Vagoviae, illinc  
sylvae Ottoniae & Martianae. Qua nobis conspicui sunt hi montes (sunt autem longissimo  
tractu), singuli continenti sed humili jugo decurrunt, mons jovis tamen, Vagoviensium  
pars, verticem in altitudinem non modicam effert. Quatuor leucis orientales, sex occi-  
dentales, qua proxime accedunt, ab urbe distant.

Duo insignis nominis & magnitudinis fluvii munimenta urbis alluunt, Nicarus par-  
te Borapeliotae, occidua Rhenus, leucae quadrante infra urbem versus aquilonem con-  
fluentes. Quam diu pacato cursu feruntur, aquas ambo vehunt satis puras, potioni & co-  
quendis cibis idoneas, quos nec colore tingunt, nec alieno sapore afficiunt. Aqua rhe-  
nana lotioni quoque & leguminum coctioni aptissima est. Praestantissimos ad haec pisces,  
salmones, lucios, cyprinos, magno numero alit \*). Non raro autem cum diuturnis plu-  
viis, tum nivibus in montibus copiose solutis sic intumescunt, ut extra alveos effusi cam-  
pos aquis late operiant, in ipsam etiam urbem, pari circiter libra cum ripis existentem,  
haud dubie redundaturi, nisi praeclaris magistratus tam civilis quam militaris curis & pro-  
vifu ad portas coercerentur.

Vastissima illa, quam diximus, planities inter montes interjecta paradiso vere simi-  
lis perpetuis arvis, pratis, vinetis, hortis, & quibusdam saltibus est distincta. Solum  
ubique ferax, quidquid sibi creditur, ingenti foenore reddit. Hinc ferme nullum fru-  
menti, leguminum, olerum, herbarumque nobiliorum, nullum arborum fructi-  
ferarum genus, quo agri non passim luxurientur. Hinc ea pagorum vicorumque frequen-  
tia, ut plerumque vix dimidiae aut quartae partis leucae spatio inter se distent, ea opu-  
lencia, ut multorum domus urbes non dedecerent. Hinc quotannis tanta copia frumenti,  
vini, fructuum, rubiae, nicotiae &c, quibus consumendis incolae non sufficiunt, exteris  
in regiones exportatur.

Sed

\*) Rhenus etiam, ut nonnullis aliis locis, sic nostra in vicinia auriferis dives est arenis. Ex his  
non procul ab urbe versus plagam borealem auri vis haud exigua secernitur, ex quo serenissimus  
princeps Elector complura sacra vasa magni ponderis & pretii, calicem, ciborium, hierothecam,  
cetera, ad usum sacelli aulici parari iussit. Elegantissimos quoque ducatos ex eo fieri curavit, se-  
quenti symbolo inscriptos: *Sic fulgent littora Rheni*. Hanc animadversionem, etsi ad rem propo-  
sitam forsitan non multum faciat, lectori non ingrati fore existimavi.

Sed propius ad urbem accedamus, & proprium ejus agrum consideremus. Hic tria cir-  
citer jugerum millia complectitur. Pars ejus ortiva arvis, pratis, & hortis quamplurimis  
constat. Solum hic ex argilla & sabulo compositum. Loca palustria olim non pauca hac  
parte erant, sed egregia civium industria, Palatinis universim propria, ex quindenis jam  
annis exsiccata in hortos, quos diximus, eosque amoenissimos, conversa sunt. Ubique  
maxima arborum frequentia. Horti enim omnis generis pomis, prata falicibus, viae publi-  
cae, quas inter una Heidelbergam, veterem metropolim, altera Schwezingam, sedem  
principum aestivam, ducit, partim populis, partim nucibus \*), complures viae campe-  
stres aliaque loca his atque aliis arboribus confita sunt.

Pars agri nostri meridionalis ortivae per omnia fere similis est, nisi quod solum hic  
paulo tenacius, & dimidio ab urbe milliari silvula existat, ad pagum Nekaraviensem spe-  
ctans. Parva etiam palus nondum exsiccata hac parte reperitur. Inter arbores, viis  
hic adfitas, mali quoque longis ordinibus procurunt. Terminum agri Manheimensis  
occiduum Rhenus facit, exiguo tractu excepto. Quae ultra hunc fluvium regio ad ipsos  
usque montes se diffundit, omnium forsitan amoenissima est, quae in terris uspiam existit.  
Continentem hortum dixeris, ad delicias excultum, quae res facit, ut ejus aspectus  
peregrinos omnes in stuporem rapiat, ipsosque cives Rhenum accolentes, quorum oculis  
semper patet, fatiare nunquam possit.

Quae terrae partem agri nostri borealem constituunt, eae partim urbem inter & duos  
fluvios supra nominatos continentur, partim ultra Nicaram sitae sunt. Utrobique per-  
quam foecundae prata, arva & hortos numerosissimos complectuntur. Eadem hic, quae  
in parte orientali, arborum frequentia, eadem varietas & distributio.

Urbs ipsa per omnem late Germaniam facile pulcherrima 12 circiter pedum millia  
circuitu suo complectitur. Plateae omnes largissimae, atque ad amussim directae sunt. In  
medio paulum elatae alveolis hinc inde, quibus aqua defluat, instructae sunt. Curis etiam  
publicis

\*) Utilissima haec arbor, quae oleum praestans, & ubi curate praeparatur, vel optimo olivo vix  
secundum profert, maximo numero occurrit cum per totum Palatinatum, tum praecipue in lae-  
tissimo eo tractu, qui Manheimium inter & montes orientales jacet. In hoc etiam numerosissi-  
ma morus reperitur, quae bombycum millones alit. Haec Heidelbergae vastissimum implet  
feminarium, ex quo arbores quaquaversum mittuntur. Haec plures vias publicas, eam verbi  
gratia, qua Schwezinga Heidelbergam, alteramque, qua Ladenburgo montes adeunt, duplici,  
procero ac pulcherrimo ordine stipat. Haec passim integros agros, clausos apertosque, haec se-  
pes, haec vias & areas patentes multis in pagis occupat. Memoranda haec esse duxi non tam pa-  
triae quam veritatis amore, ut appareret, quantum caecutiverit literatus ille peregrinator (Sul-  
zer), qui facta per haec ipsa loca itinere diarii sui pagina 19 scribere ausus est, mirandum esse,  
in regione tam miti & foecunda moros ferici caussa nullas plantari.

publicis bis hebdomadatim purgantur, fordesque in campos evehuntur, unde fit, ut perpetua in iis mundities conservetur. Domus privatae pleraeque duabus tantum contiguatibus constant, sed omnes albo aliove vivido colore, multae vario, exterius tinctae, complures etiam elegantibus picturis ornatae sunt, quae colorum inductio radiis solaribus copiosius regeftis calorem aestivum multum auget.

Aqua urbis, quam putei cum publici tum privati subministrant, minime infalubris est, velut nonnulli autumant. Plerumque clara & limpida est, nullo sapore imbuta, & quae multis ex puteis hauritur, etiam coctioni leguminum perquam apta, quas bonas aquae notas esse nemo inficias ibit. Heidelbergensi quidem minus pura, quam Nobiles quidam ad potionem sibi adferendam curant, pluribus mixta est particulis terreis, at ejusmodi, quae teste longissima civium experientia sanitati nihil officiant.

Aër cum urbis tum totius ejus agri valde mitis & temperatus est, velut ex observationibus thermometri infra adferendis, atque etiam ex eo patet, quod Cereris & Pomonae fructus multo prius hoc in tractu quam in multis aliis Germaniae regionibus maturefcant, messis enim hic loci fere in Julium, alibi in Augustum incidit, adeo, ut nomen germanicum *Aerntemonat*, id est, mensis messis, horum mensium posteriori a Carolo magno inditum in planitie nobis circumjecta cum re non conveniat.

Salubritatem aëris, quem in urbe respiramus, inquirenti mihi tria consideranda esse visa sunt, ea scilicet, quae aërem vitare possunt, tum quae ejus malignitatem tollunt, denique experientia. Aër utique ex se omnis bonus est, nec nisi heterogeneis, quibus unitur, particulis corrumpitur. Hae autem duum sunt generum. Aliae ex rerum adjunctis, aliae natura sua homini sunt nocivae. Ad priores spectant v. gr. particulae aqueae & igneae, quae corpori infueto aut infirmo subita distentione damnum adferre possunt, assuefactis autem, & validis, etsi repente aut supra modum accumulatae, nihil nocent. Testes sunt nationes integrae, vegetae & probe valentes, quae terras incolunt aut humoribus redundantes, aut aestu solis perpetuo tostas, aut immanibus frigoris calorisque vicissitudinibus subjectas. Testes luculenta recentiorum physicomum experimenta, eandem in rem instituta. Hinc quisque facile perspexerit, aërem nostrum non idcirco infalubrem dici posse, quod particulis aqueis, a Rheno Nicaroque avulsis, sub nebulae forma non raro apparentibus, frequentius impraegnetur.

Quae aëri miscentur particulae per se & semper nocivae, emanationes sunt mephiticae atque eae in universum omnes, quae aërem fixum reddunt. Nascitur autem malignum hoc & pestilens aëris genus cum putrefactione & solutione corporum, tum ipsa ho-

minum

minum ceterorumque animantium expiratione ac evaporatione. Cum itaque in urbibus tanta sit hominum ac pecorum frequentia, quae dies noctesque aërem fixum e pulmonibus protrudant, atque effluvia pestifera omni parte emittant; cum indies immanis vis candelarum, carbonum, aliorumque corporum, quae malignos vapores generant, igne consumantur; cum denique in officinis cerevisiariis, coriariis aliisque tot corpora effervescent aut corrumpantur, cum nullo non die ex omnibus aedibus tot purgamenta in plateas ejiciantur, quae subinde computrescant: necesse profecto est, aërem in urbibus generatim valde corrumpi. Ad has causas communes quaedam accedunt singulares, quae aërem nostrum vitare possunt. Harum prima est, quod cadavera omnia intra urbis ambitum cum in publicis coemeteriis tum in ipsis templis sepeliantur. Altera est memorata superius non infrequens Rheni Nicarique exundatio, cujus reliquiae putredini subjectae esse solent.

Videamus nunc ea, quae corruptum aërem nostrum corrigere facile possint. Huc referre inprimis oportet ipsam urbis situm, qui facit, ut ex omni parte ventis pateat, Boreae primum & Noto, ex plagis interminati prospectus allabentibus, tum Zephiro etiam & Apeliotae, quos montes tam ob distantiam quam ob humilitatem suam teste experientia haud multum impediunt. Atqui atmosphaerae purgandae nihil aptius ventis reperias, quippe qui malignum aërem cuidam loco majore mole incumbentem dissipant ac secum abspportant. Ut vero libere pervadere venti urbem nostram possint, faciunt cum latissimae ejus plateae, directe ubique procurrentes, tum etiam ipsa aedium humilitas, quas plerasque distegas esse supra diximus. Ad felicem hunc situm accedit tum perpetua platearum purgatio, tum infinitus arborum numerus, quae partim in campis urbem cingentibus, veluti superius memoratum est, partim ipsa in urbe reperiuntur. In hac enim non tantum totum circumcirca vallum, sed ferme omnes areas publicas tiliae, castanae, populi, platani occupant. At vero in absorbendo fixo aëre miram plantis vim inesse innumeris recentiorum iisque indubiis experimentis constat.

Quam feliciter his omnibus rebus aër vitatus in urbe nostra corrigatur, experientia luculenter docet. Etenim nulli morbi epidemici grassari in illa solent, & propagatio incolarum nullo non tempore tanta fuit, quanta ulla in urbe maxima esse solet, quod argumentum clarissimus noster *Colinius* tomo I actorum academiae Theodoro-palatinae pluribus est profecutus.

Coronidis loco urbis nostrae latitudinem & longitudinem geographicam, a celeberrimo astronomo nostro *Mayero* e specula electorali pro humanitate sua mihi communicatam, hic subjiciam. Prima est 49°, 27', 55"; altera 6°, 7', 30" parisiensis orientalis.

N

Janua-

Horae observationis ordinariae 7 mat. 2 pom. 9 vesp. Rhenus observatur mane; pluviae copia & evap. hor. 2 pom.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli facies, Meteora. Rows 1-18.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli facies, Meteora. Rows 19-31.

Februarius.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli facies, Meteora. Rows 1-4.







Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 19-30.

M a j u s.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 1-5.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 6-24.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 25-31.

Junius.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 1-10.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 11-29.

Table with 13 columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 28, 29, 30.

Julius.

Main table for Julius with 13 columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 1-16.

Main table for Julius with 13 columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 17-31.

Augustus.

Table for Augustus with 13 columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 1, 2.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli facies, Meteora. Contains daily weather observations for August.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli facies, Meteora. Contains daily weather observations for August.

September.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli facies, Meteora. Contains weather observations for September.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 8-26.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 27-30.

October.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 1-13.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 14-31.

November.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 1-18.



Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 19-30.

December.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 1-5.

Table with columns: Dies, Barom., Th.int., Th.ext. I, Th.ext. II, Hygr., Declin., Ventus., Pluvia., Evap., Rhen., Luna., Coeli fac., Meteora. Rows 6-24.

Die	Barom.	Th.int.	Th.ext. I	Th.ext. II	Hygr.	Declin.	Ventus.	Pluvia.	Evap.	Rhen.	Luna.	Coeli fac.	Meteora.
25	27, 11, 4 28, 0, 2 I, 2	5, 5 5, 8 5, 8	3, 4 7, 0 5, 6		12, 0 14, 6 10, 6	19, 15 24 22. 1/2	O S O I. 1/2 S O 2 O S O I. 1/2	107	0, 4	-3, 11	♄	=== = n. sp. = a. sp.	nocte ad h. 11. 1/2 mat.
26	28, 0, 6 27, 11, 6 10, 4	5, 8 5, 8 5, 6	2, 8 4, 3 I, 1	7, 5	5, 9 8, 5 5, 4	19, 21 21 23	W S W I. 1/2 O S O I W S W I. 1/2	10	0, 2	-4, 2	♄	=== = a. t. = a. t.	sp. h. 6 mat. ad 10 mat.    sp. toto vesp.
27	27, 8, 4 10, 4 28, 0, 1	5, 4 6, 0 6, 7	1, 9 7, 1 6, 4		7, 8 21, 0 20, 6	19, 16 27 21	O S O 2. 1/2 W S W 2 S S W 2	67	1, 3	-4, 3	♄	=== = a. n.	nocte & mane ad h. 10
28	28, 0, 5 27, 11, 0 10, 4	6, 2 6, 6 6, 7	6, 2 7, 2 7, 2		17, 0 28, 7 13, 9	19, 22. 1/2 27 27	S S O 2 S S O 2 S S W 2. 1/2	9. 1/2	0, 2	-4, 5	♄	=== n. sp. === n. === n.	t. h. 12. 1/4 pom. item h. 3 pom.
29	27, 10, 4 9, 6 9, 6	6, 9 7, 0 7, 4	8, 5 9, 1 6, 9		19, 9 25, 0 25, 7	19, 22. 1/2 34. 1/2 21	S W I. 1/2 W 3 W N W 3	33. 1/2	1, 5	-4, 4	♄	=== n. sp. = n. sp. = n. sp.	
30	27, 11, 0 10, 8 9, 9	7, 2 7, 3 7, 3	6, 0 6, 7 5, 6		29, 0 28, 4 27, 4	19, 18 24 20	W S W 2. 1/2 W S W 2 S W 2	3	2, 6	-4, 2	☉ vesp. h. 6 m. 30. ☽	=== n. sp. = n. & a. sp. = n. sp.	t. h. 2 pom.
31	5, 8 5, 5 6, 4	7, 0 7, 2 7, 2	4, 4 6, 0 5, 1		22, 0 24, 8 24, 7	19, 18 25. 1/2 25. 1/2	S S W 2 W S W 2. 1/2 W N W 2. 1/2	116. 1/2		-2, 8	♄	=== === = n. a.	nocte & hoc mane.

## Observationes Manheimenses electricitatis atmosphæricæ.

**M**achinam, qua has observationes institui, superius descripsi. Ea proprie pertinet ad explorandam electricitatem in nubibus imminentibus accumulata, sive hæe silentes & mutæ, sive fulgur & tonitru edentes transeant. Quamquam enim signa electricitatis non obscura sæpe numero edat coelo plane sereno, ea tamen plerumque levia tantum, atque in univèrsum ita comparata sunt, ut, cujus generis sit electricitas, positiva an negativa &c., dignosci inde non possit. Instrumentum tenerioris sensus, etiam exilibus his effectis certo definiendis proprium, olim simul adhibebo.

Nubes electricas quod attinet, eas persentiscere, ut ita dicam, machina nequit, nisi ita propinquas, ut earum atmosphæra cuspidem perticæ fulmineæ (pag. 86) attingat, qui enim hæc, quod abest, hauriret & ad infimam machinæ partem, ubi observator est, deduceret? Ista autem atmosphæra jam plus, jam minus ampla est, prout nubes ipsa majore aut minore vi materiæ electricæ prægnans fuerit. Interdum terminos habet tam longe patentes, ut, nisi spectator ipse fueris, vix assentiaris. Nubes foetas (quas ex colore dignosco) non raro vidi, solitarie, & coelo cetera sereno incedentes, quæ amplius 2000 passibus secundum lineam horizontalem distantes copiosum ignem in machinam infudere.

Ceterum anemometrum, prope hanc machinam erectum, sæpe indicio est, atmosphæram nubis cuspidi perticæ fulmineæ nondum incumbere. Bractea enim anemometri nisi vento pareat, ex plaga adventantis nubis spiranti, certus sum, electrometrum atmosphæricum nihil adhuc ignis notabilis haurire. Accidit per sæpe, ut imminente tempestate fulminea amatores mihi numerosi adessent, effectum hujus machinæ sibi novum cupide præstolantes. Identidem sciscitantibus, num phaenomenum brevi spectandum se præberet, anemometrum intueri jussi, ventum indicans, ex plaga nubi opposita allabentem. Hunc cum motu nubis consentientem ut primum conversa bractea notavit, luculenta electricitatis præsentis signa machina dedit.

Tempestatem hujusmodi nequis semper velut coherenter nubium foetarum massam animo sibi effingat. Nubibus enim constat plerumque separatis & quasi solitariis, quarum aliae electricitate ultra portionem naturalem abundant, quas *positivas* appellant, aliae portione a natura concessa privatae sunt, *negativæ* propterea dictæ, raro autem omnes ejusdem sunt generis. Hanc nubium sejunctionem clare evincunt globuli sambucei ex machina suspensi (pag. 87). Hi enim cum electricitate imprægnati magno se se intervallo rejiciunt, sæpe repente concidunt, ac paulo post iterum se fugiunt, manifesto indicio, nubem priorem transiisse, & nihil amplius tribuere electricitatis, quam deinde a nube succedente denuo hauriunt.

Haec nubium successio sæpe numero tam prompta est, ut modo intra 15 temporis minuta globulos 8 vicibus coire & a se iterum recedere viderim. At positivas inter & negativas nullus succedendi constans ordo. Nunc plures positivas totidem excipiunt negativæ, nunc has illæ impari numero sequuntur; interdum singulis negativis positivæ singulae, aut contra, jucundo & admirando spectaculo succedunt.

Facit ista nubium diversitas, ut, si satis sibi propinquæ fuerint, altera alteri partem redundantis electricitatis ex legibus æquilibrii communicet, quod ubi raptim & notabili copia contingit, ignis inter utramque emicat, quem *fulgur* appellamus. Fulgur itaque semper cum nubis foetæ explosione seu exoneratione conjunctum est, sive ea in nubem aliam, sive in tellurem fiat. Quam hoc veritati sit consentaneum, testes iterum sunt globuli sambucei, qui, quoties fulgur in vicina tempestate existit, collabuntur, non penitus, sed partem, ita, ut angulum inter se minorem forment, non secus, ac dum scintilla inter globos machinæ V & S (pag. 88) prorumpit. Quasi per transennam hic notandum est, dum de nubibus foetis, igne electrico stipatis, earumque explosione &c, hic ac superius differui, hæc eo modo intelligenda esse, quem pagina 89 explicavi.

Aliam insignem veritatem haec machina, non dicam, patefacit, at certe confirmat, ventos scilicet, tempestatum fulminearum comites, electricitatis atmosphaericae esse effectus. Experientia jam dudum didicerant physici, electricitate corpora omnia, quae periclitari hucusque licuit, vehementer expandi. Ex eo pronum erat colligere, idem & cum aëre tempore tempestatum fulmineae agi, turbari idcirco ejus aequilibrium, ac proinde ventum nasci debere. Quam laete cum his ea consentiunt, quae hucusque observavi! Inprimis nubes fulminea sine vento nulla tranfit. Scintillas deinde electricas dum electrometrum atmosphaericum emittit, has & vi & celeritate augeri video, quoties novas vires capit ventus, quas anemometri index, vix 8 pedibus a globis V S (fig. 31 & 33) distans, motu suo ostendit. Vento contra remittente etiam vis scintillarum minuitur, & vice versa, quam legem, ex quo observo, constantem esse reperi. Adde, quod, nisi omnia me fefellerent, furentibus procellis, electricitatem copiosissimam machinae meae adferentibus, ignem electricum ventumque, velut individos focios, una e tellure egredi pluries deprehenderim. Praeproperus essem, quamquam forsitan non falsidicus, si ventos plerosque electricitati tribuerem, quam rem dies olim seris nepotibus nostris faciet palam.

Nunc ipsas observationes, electrometro atmosphaerico captas, in tabula communicabo. Haec praeter diem & horam, qua quaevis observatio facta est, repraesentat nubium, ventorum, ipsiusque electricitatis genus. Nubes electricas mutas litera *m*, tonantes fulgurantesve signo ⚡ indico, quae si simul in pluviam resolutae fuerint, signum || addo. Ex qua plaga tempestatum quovis loco veniant, scire interest. Hinc earum focios ventos, una cum horum viribus (pag. 10), qualibet vice noto. Vires electricitatis non instrumento fig. 34 exhibito, justo serius ob varia fata parato, sed modo sequenti utcumque distingo. Dum machina ita fit electrica, ut globuli sambucei exiguo tantum sub angulo se fugiant, unguive digiti oblatis fortiter adhaerescant, nullo igne inter globos V & S fulgurante, id litera *a* indico, attractionem fortiolem significante, leves enim attractiones praetermitto. Dum autem scintillae hos inter globos evibrantur, eas asterisco (\*), ac vim ipsarum numeris 1, 2, 3 noto, prout intra unius, duorum, triumve pollicum intervallum prorumpunt. Positivam & negativam electricitatem signis (+ & -), usu in algebra receptis, discrimino. Quo ordine haec signa se excipiunt, eodem diversae hae electricitates sibi succedere. Nota arithmetica iis subjecta docet, quoties hoc illudve electricitatis genus, alio non interposito, redierit. Ubi unicum horum signorum in tabula occurrit, non id propterea argumento est, ejusdem generis nubes omnes extitisse. Saepe enim paulo serius ad observationem veni, seu quod ex urbe domum redirem, seu quod electricitas inopinato machinam impraegnaret, & non nisi campanularum, ex ea pendentium, sonitu monitus accurrerem. Id evitare penitus non potui, quamquam socium observationum, quo universim observatorum nemo carere potest, & solertem & vigilantem habeam, musaei scilicet physici Electoralis fidum & indefessum famulum ANTONIUM SCHLEICHER, rerum naturalium apprime studiosum & intelligentem, Principis sui gratia dignissimum.

Februarius.

Dies	Hora.	Nubes.	Ventus.	Electricitas.
2	2.1/2 pom.	≡ m.	W N W. 2	* 1. + 2
14	5 pom.	≡ m.	W N W. 3	a.
	7.1/4 vesp.	≡ m.	W N W. 4	* 2. - 3
	8 vesp.	≡ m.	W N W. 3	* 2. - + -

Martius.

Dies	Hora.	Nubes.	Ventus.	Electricitas.
15	2 pom.	≡ m.	N. 1.1/2	a.
17	2 pom.	≡ m.	S W. 1	a.
22	2 pom.	≡ m.	S W. 1	a.
24	2.1/2 pom.	≡ m.	N N O. 2	a.
25	2 pom.	≡ m.	N O. 1	a.
26	4-6 pom.	≡ m.	W N W. 3	a.
28	2-9 pom.	≡ m.	N O. 1	a.
30	2 pom.	≡ m.	O N O. 1	a.

Aprilis.

Dies	Hora.	Nubes.	Ventus.	Electricitas.
1	3-7 pom.	≡ m.	O N O. 1	a.
2	10.1/2 vesp.	≡ m.	S O. 2	* 2. + -
4	a. & p. mer.	≡ m.	O N O. 2	a.
5	a. & p. mer.	≡ m.	O. 1.1/2	a.
6	1.1/4 pom.	≡ m.	S S W. 2	* 1. -
7	a. & p. mer.	≡ m.	S S W. 1.1/2	a.

Aprilis.

Dies	Hora.	Nubes.	Ventus.	Electricitas.
10	9.1/2 vesp.	≡ ⚡.	O N O. 2	* 1. + -
11	a merid. ad vesp.	≡ m.	S W. 1.1/2	a.
12	12 merid.	≡ m.	S W. 2	a.
17	Sub merid.	≡ m.	S W. 1	a.
18	Sub merid.	≡ m.	N W. 1	a.
20	1.1/2 pom.	≡ ⚡.	W N W. 1.1/2	* 2. + - + - + -
23	11 mat. ad 1 pom.	≡ m.	N N W. 2	* 1. -
28	3-5 pom.	≡ m.	S S W. 1	* 1. +
29	5-6 pom.	≡ m.	N W. 1	* 1. -

Majus.

Dies	Hora.	Nubes.	Ventus.	Electricitas.
3	3.3/4 pom.	≡ m.	N N W. 1.1/2	* 1. -
	4 pom.	≡ m.	N N W. 1.1/2	* 2. + -
	5-5.1/2 pom.	≡ m.	N N W. 1.1/2	* 1. -
8	Sub merid.	≡ m.	O N O. 2	a.
10	1 pom.	≡ m.	S O. 1.1/2	a.
	3 pom.	≡ m.	S O. 1.1/2	* 1. -
	4 pom.	≡ m.	S S O. 2	* 2. -
11	12 merid.	≡ m.	S O. 1	* 2. -
	5 pom.	≡ m.	S O. 1	* 2. +
15	Sub merid.	≡ m.	O N O. 1	a.
16	Sub merid.	≡ m.	S S W. 1.1/2	a.
19	7.1/4 mat.	≡ m.	N W. 1	* 1. +
	9 mat.	≡ m.	N W. 1	* 1. +
	5 pom.	≡ m.	O N O. 1.1/2	* 2. - +
20	12.1/4 pom.	≡ m.	N O. 1	* 1. + 2
	1.1/4 pom. 2 pom.	≡ m.	N O. 1	* 1. + * 1. -

Majus.

Table with 5 columns: Dies, Hora, Nubes, Ventus, Electricitas. Data for May 26 and 31.

Junius.

Table with 5 columns: Dies, Hora, Nubes, Ventus, Electricitas. Data for June 3, 6, 8, 9, 11, 13, 15, 16, 24, 27, 28.

Julius.

Table with 5 columns: Dies, Hora, Nubes, Ventus, Electricitas. Data for July 4, 6, 7.

Julius.

Table with 5 columns: Dies, Hora, Nubes, Ventus, Electricitas. Data for July 9, 15, 16, 27, 29, 31.

Augustus.

Table with 5 columns: Dies, Hora, Nubes, Ventus, Electricitas. Data for August 2, 4, 6, 7, 12, 13, 15, 18, 25, 28.

September.

Table with 5 columns: Dies, Hora, Nubes, Ventus, Electricitas. Data for September 3, 14, 16, 22, 23, 24.

September.

Table with 5 columns: Dies, Hora, Nubes, Ventus, Electricitas. Data for September 25, 26.

October.

Table with 5 columns: Dies, Hora, Nubes, Ventus, Electricitas. Data for October 19, 20, 21, 22.

Observationes Manheimenses Botanicae & propagationis Incolarum.

Haec observationes ad eum modum institutae sunt, quem supra (pag. 49) indicavimus. Quae hoc anno in hac parte desiderantur, ea explorare futuris temporibus conabimur.

Observ. Manheimens. Botanicae.

Table with 15 columns: Fructus agrorum, Sati., Flos., Colle., Proven., Morbi vel infecta nociva, Arborea & frutices, Gemmae, Folia, Flos., Maturitas, Proven., Morbi vel infecta nociva, Aves migrantes, Adventus, discessus. Lists various plants and their characteristics.

Fructus agrorum.	Sati.	Flos.	Colle- gio.	Proven- tus.	Morbi vel infecta nociva.	Arbores & frutices.	Gem- mae.	Folia	Flos.	Maturi- tas.	Proven- tus.	Morbi vel infecta nociva.	Aves mi- grantes.	Adven- tus.	disce- sus.
Hordeum hyber- num.			11. Julii.	Medio- cris.		Amygda- lus.			23 Mar- tii.				Cucullus	5 Aprilis	
Rapi- strum.		12. April.	12 Junii.	Medio- cris.		Vitis.	23 Mart.	11 April.	7 Maji.	1 O&obr.	Copio- sissimus.		Lufci- niae.	7 Aprilis	
Pifa.		5 Maji.				Aesculus.		27 Mar- tii.	18 April.				Sturni.	23 Junii.	
Foenum.		26 Maji.				Cerasus.			30 Mar- tii.		Copio- sus.				
Taba- cum.	21 Maji					Ribesum			3 April.	2 Junii.					
						Pirus.			3 April.						
						Malus.			3 April.						
						Quercus.		7 April.							
						Tilia.		8 April.							
						Nux.		12 April.		16 Augusti					
						Morus.		22 April.							

Univ. Bibl.  
München

Confectaria obfervationum Manheimenfium Capita.

*Confectaria barometrica* feptem tabulis fequentibus comprehendi, quas olim locupletare, & meliorem, fi opus fuerit, in formam redigere adlaborabo.

Tabula barometrica I.

Menfes.	Dies.	Altitudo maxima.	Ventus.	Coeli facies	Luna.	Dies.	Altitudo minima.	Ventus.	Coeli facies	Luna.	Differentia feu Varia- tio.	Altitudo media ex max. & min.
Januar.	10 merid. & vefp.	28, 3, 5	N O	==	☾ 4 a.	25 mane.	27, 2, 2	W S W	==	☾ 1 P. ☾ 3 a.	I, I, 3	27, 8, 8
Februar.	3 merid.	28, 2, 4	N	==	☽ 2 p. ☾ 6 p.	27 vefp.	26, 9, 9	N W	==	☾ 4 P. ☾ 4 P.	I, 4, 5	27, 6, 1
Mart.	25 mane.	28, 3, 7	N N O	-8-	☾ 1 p.	28 merid.	27, 6, 7	N O	≠	☾ 3 P. ☾ 4 P.	O, 9, 7	27, 11, 2

Tabula propagationis Incolarum Manheimensium.

Menses.	Nati.					Denati.															Morbi domi- nantes.	Paria con- nubio jun- cta.													
	Summa.	Puellae.	Pueri.	Catholi- ci.	Ju- daei.	Summa.	Puellae.	Pueri.	Mulieres.	Viri.	Catholici.			Lutherani.			Reformati.			Anabapti- ftae.			Judaei.												
											Puella.	Puer.	Mulier.	Vir.	Puella.	Puer.	Mulier.	Vir.	Puella.	Puer.			Mulier.	Vir.	Puella.	Puer.	Mulier.	Vir.							
Januar.	72	33	39	27	25	5	5	6	3	1	1	16	23	32	18	89	10	17	18	13	3	3	8	2	3	2	5	1	1	1	2	Rheumatismi & peri- pneumoniae.	Catholicorum		
Februar.	66	41	25	16	28	4	5	5	7	1	1	12	23	31	17	83	7	15	14	10	2	3	7	2	1	3	9	3	2	2	2	Variolae aquosae in- fantum.	Luthera- rum		
Mart.	69	29	40	27	22	6	4	6	1	1	2	16	17	12	26	71	11	13	4	17	3	2	3	4	1	2	4	3	1	1	2	Idem morbus, & fe- bres vernaes.	37		
April.	78	40	38	25	28	5	7	8	4	1	1	15	21	27	23	86	12	10	17	17	1	5	4	2	2	6	4	3	1	1	1	Scarlat infantum. Fe- bres.			
Majus.	60	28	32	22	17	6	4	4	7	1	1	16	15	21	15	67	10	10	15	9	2	2	1	2	2	2	3	2	2	2	2	Artriticus biliofae			
Junius.	40	24	16	11	14	1	5	4	4	1	1	9	13	29	23	74	8	8	19	14	1	3	6	6	2	4	2	1	1	1	2	Scarlatinae etiam adul- tis infertae.	Reformatorum		
Julius.	64	20	44	29	8	5	5	8	5	1	2	17	15	42	48	122	12	7	25	35	5	3	4	5	4	13	8	1	1	1	1	Scarlatina modo in pe- jus abit.	24		
August.	57	29	28	14	21	9	6	3	2	2	2	14	18	57	60	149	6	10	34	38	4	2	14	11	4	6	9	10	1	1	1	Scarlatina in dyente- riam mutata.	Anabaptitarum		
Septemb.	61	29	32	21	17	2	8	9	3	1	1	22	18	34	25	99	16	14	21	15	5	1	8	4	2	5	5	1	1	1	1	Dyententia putrida.	0		
October.	57	24	33	21	15	6	6	4	2	2	1	18	20	38	16	92	13	12	27	8	2	5	6	4	2	3	4	4	1	1	1	1	Dyententia benignior; febres Scarlatinae.	Judaeorum.	
Novemb.	59	24	35	16	18	9	3	9	2	1	1	17	25	11	12	65	12	17	9	7	2	6	3	3	1	2	2	1	1	1	1	Affectiones rheumati- cae, & febres biliofae	16		
Decemb.	60	34	26	14	16	5	8	6	7	1	3	13	19	15	20	67	7	14	7	10	5	1	1	3	1	4	7	7	1	1	1	Rheumatismi inflam- & febr. pertinacissimi.	149		
Summa.	743	355	388	243	229	63	66	72	47	1	1	185	227	349	303	1064	124	147	210	193	35	36	62	48	19	37	69	50	1	1	2	7	6	7	10

Menfes.	Dies.	Altitudo maxima.	Ventus.	Coeli facies.	Luna.	Dies.	Altitudo minima.	Ventus.	Coeli facies.	Luna.	Differentia seu Variatio.	Altitudo media ex max. & min.
April.	21 mane.	28, 1, 3	W	-8	☉ 2 a. ☾ 1 p.	5 h. 4 pom.	27, 3, 9	O	☉	☾ 3 p. ☾ 2 a.	o, 4, 7	27, 8, 6
Majus.	24 vesp.	28, 0, 8	O N O	☉	☉ 1 p. ☾ 7 p.	9 vesp.	27, 5, 3	O S O	☉	☉ 1 p. ☾ 5 p.	o, 7, 5	27, 9, 0
Junius.	29 vesp. 30 mane.	28, 2, 4	N W	-8	☾ 1 p. ☾ 1 p.	21 vesp.	27, 5, 7	O N O	☉	☉ 7 p. ☾ 7 a.	o, 8, 7	27, 10, 0
Julius.	21 mane.	28, 1, 7	N N W	☉	☉ 5 a.	26 mane & merid.	27, 8, 5	S & S O	☉	☾ 2 a. ☾	o, 5, 2	27, 11, 1
August.	4 mane.	28, 1, 7	N N W	☉	☉ 5 a.	19 merid.	27, 6, 7	W S W	☉	☉ 3 a.	o, 7, 0	27, 10, 2
Sept.	29 vesp. 30 mane.	28, 1, 3	S O	-8	☉ 3 a. ☾ 4 a.	26 vesp.	27, 3, 0	S W	☉	☾ 2 a. ☾ 7 p. ☾ 7 a.	o, 10, 3	27, 8, 1
Octob.	8 vesp.	28, 3, 4	N O	☉	☾ 2 p. ☾ 5 p.	31 mane.	27, 3, 6	N N W	☉	☉ 1 a. ☾ 1 a.	o, 11, 8	27, 9, 5
Nov.	9 vesp.	28, 2, 2	O S O	-8	☾ 4 a.	16 mane h. 6	27, 0, 1	W	☉	☉ 1 p. ☾ 3 p.	1, 2, 2	27, 7, 2
Decemb.	21 vesp.	28, 2, 1	O	☉	☾ 1 a. ☾ 3 a.	31 merid.	27, 5, 5	W S W	☉	☉ 1 p. ☾ 7 p.	o, 8, 6	27, 9, 8
Toto anno.	25 Martii.	28, 3, 7	N N O	-8	☉ 1 p.	27 Februar.	26, 9, 9	N W	☉	☉ 4 p. ☾ 4 p.	Variatio maxima 1, 5, 8	27, 6, 8
Variatio media pro quovis anni mense - - - - -											o, 9, 8	
Variatio media pro 6 mensibus aestivis a Martio ad Septembrem - - - - -											o, 7, 1	
Variatio media pro 6 mensibus hyemalibus - - - - -											1, 0, 4	

Univ. Bibl. München

Tab. barom. II.

Menfes.	Altitudo media barometri.
Januar.	27, 10, 0
Februar.	27, 8, 5
Martius.	27, 11, 5
Aprilis.	27, 9, 1
Majus.	27, 9, 8
Junius.	27, 8, 8
Julius.	27, 11, 4
August.	27, 10, 3
Septemb.	27, 9, 4
October.	27, 11, 0
Novemb.	27, 8, 5
December.	27, 10, 0
Ex omnibus mensibus.	27, 9, 9

Tab. barom. III.

Menfes.	Altitudo media barometri.		
	matutina.	meridiana.	vespertina.
Januar.	27, 10, 1	27, 9, 8	27, 10, 2
Februar.	27, 8, 7	27, 8, 4	27, 8, 2
Martius.	28, 0, 1	27, 11, 7	27, 11, 9
Aprilis.	27, 9, 3	27, 9, 0	27, 9, 1
Majus.	27, 10, 1	27, 9, 8	27, 9, 8
Junius.	27, 8, 9	27, 8, 7	27, 8, 8
Julius.	27, 11, 6	27, 11, 3	27, 11, 3
August.	27, 10, 4	27, 10, 2	27, 10, 3
Septemb.	27, 9, 5	27, 9, 3	27, 9, 5
October.	27, 10, 9.9/31	27, 10, 9.7/31	27, 11, 2
Novemb.	27, 8, 4.5/30	27, 8, 4.9/30	27, 8, 7
December.	27, 10, 1	27, 10, 0	27, 10, 1
Ex omnibus mensibus.	27, 10, 0	27, 9, 8	27, 9, 9

Q 3

Tab. barom. IV.

Menfes.	Calor medius barometri.		
	matutinus.	meridianus.	vesperinus.
Januar.	3, 7	3, 8	3, 9
Februar.	6, 8	7, 1	7, 0
Martius.	8, 2	8, 5	8, 4
Aprilis.	11, 8	12, 1	12, 0
Majus.	14, 5	15, 1	14, 9
Junius.	17, 5	18, 1	17, 8
Julius.	18, 0	18, 5	18, 4
August.	17, 5	18, 6	18, 2
Septemb.	15, 7	16, 6	16, 2
October.	10, 9	11, 0	10, 9
Novemb.	8, 2	8, 3	8, 3
December.	5, 2	5, 3	5, 5
Ex omnibus mensibus.	11, 5	11, 9	11, 8

Tabula barom. V.

Ordo phasium.	Altitudo media barometri.			
	●	☽	☺	☾
1	27, 10, 1	27, 11, 6	27, 11, 8	27, 7, 3
2	27, 7, 1	27, 11, 0	27, 8, 4	27, 8, 9
3	27, 9, 2	28, 0, 4	28, 1, 0	28, 0, 6
4	27, 9, 6	27, 6, 8	27, 8, 7	27, 10, 8
5	27, 11, 7	27, 9, 5	27, 8, 6	27, 9, 8
6	27, 7, 9	27, 9, 6	27, 8, 0	27, 8, 7
7	27, 10, 5	27, 11, 8	27, 11, 3	28, 0, 3
8	27, 9, 5	27, 11, 4	27, 11, 5	27, 9, 5
9	27, 8, 5	27, 10, 3	27, 10, 6	27, 10, 1
10	27, 10, 9	27, 8, 4	28, 0, 5	28, 0, 7
11	27, 6, 2	27, 8, 6	27, 9, 1	27, 8, 1
12	27, 9, 8	27, 10, 2	27, 9, 7	27, 10, 0
Altitudo media ex 12 phasibus.				
27, 9, 2.1/2   27, 10, 1.1/3   27, 10, 3   27, 10, 1				

Tabula barom. VI.

Ordo phasium.	Altitudo media barometri.			
	●	☽	☺	☾
1	27, 5, 0	27, 8, 6	28, 1, 5	27, 8, 7
2	27, 7, 2	28, 0, 3	27, 10, 1	27, 7, 5
3	27, 11, 7	28, 0, 7	27, 11, 7	28, 0, 9
4	27, 9, 1	27, 8, 1	27, 8, 7	27, 9, 1
5	27, 11, 3	27, 8, 6	27, 8, 4	27, 9, 7
6	27, 7, 9	27, 11, 1	27, 7, 9	27, 8, 4
7	28, 0, 2	27, 10, 7	27, 11, 1	27, 11, 7
8	27, 8, 9	27, 10, 8	27, 11, 8	27, 10, 8
9	27, 9, 3	27, 9, 3	27, 10, 6	27, 11, 8
10	28, 0, 5	27, 5, 3	27, 11, 0	28, 1, 5
11	27, 4, 2	27, 10, 5	27, 7, 4	27, 10, 3
12	27, 9, 3	27, 8, 9	27, 11, 4	27, 9, 1
Altitudo media ex 12 phasibus.				
27, 9, 0.1/2   27, 9, 7   27, 10, 3   27, 10, 2.11/12				

Tabula barom. VII.

Menses.	Lunae longissimus a terra digressus.			Lunae proximus ad terram accessus.		
	Dies.	Altitudo media barometri.	Phases lunae.	Dies.	Altitudo media barometri.	Phases lunae.
Januar.	1	27, 8, 7	☽ 1 a.	14	27, 11, 0	☾ 3 a. ☺ 4 p.
Januar.	28	27, 11, 4	☽ 4 a. ● 4 p.	---	---	---
Februar.	23	27, 7, 2	●	10	27, 10, 2	☺ 2 p.
Martius.	24	28, 0, 4	● 1 a.	9	27, 11, 6	☺ 1 a.
Aprilis.	20	27, 11, 4	● 3 a.	7	27, 7, 6	☺ 1 a.
Majus.	17	27, 9, 5	☾ 2 p.	4	27, 9, 4	☽ 3 p. ☺ 4 a.
Junius.	---	---	---	1	27, 10, 1	☽ 2 p.
Junius.	14	27, 8, 4	☾ 1 p.	28	27, 10, 7	☽
Julius.	12	27, 11, 8	☾ 1 a.	26	27, 10, 2	☽ 2 a.

Menses.	Dies.	Altitudo media barometri.	Phases lunae.	Dies.	Altitudo media barometri.	Phases Lunae.
Augustus.	9	27, 11, 2	☾ 3 a.	22	27, 7, 5	● 3 p.
Septemb.	5	27, 9, 7	☺ 3 p.	19	27, 9, 5	● 1 p.
October.	3	27, 10, 8	☺ 1 p.	16	28, 1, 2	● 1 a.
Novemb.	1	27, 7, 4	☺	13	27, 5, 7	● 2 a.
Novemb.	27	27, 10, 9	☺ 4 a.	---	---	---
December.	24	27, 11, 6	☽ 2 p.	11	27, 10, 0	☾ 3 p. ● 4 a.
Medium ex Summa.		27, 10, 2		Medium ex Summa.		27, 9, 7

Tabula I exhibet maximas & minimas barometri altitudines per singulos anni menses, adjunctis ubique ventis, aspectu coeli, & lunae positionibus, item differentiis inter dictas altitudines, & mediis, quae inter eas intercedunt. Numeri, qui in seriebus luna inscriptis occurrunt, dies indicant; littera a ante, p post significat. Sic altitudo barometri maxima mense Januario in ipsum diem plenilunii incidit, sed quadriduo ante lunae perigaeum. Ex hac tabula elucet,

- 1) altitudinem omnium maximam extitisse tempore novilunii, altero post lunae apogaeum die; omnium minimam quadriduo post lunae novationem & apogaeum.
- 2) Altitudines maximas omnes, excepta unica, locum habuisse vel ipso die redeuntis cujusdam phasis lunaris, vel intra biduum praecedens subsequensve. Idem esse de omnibus altitudinibus minimis, quatuor exceptis.
- 3) Omnes altitudines maximas, praeter duas, incidisse coelo sereno; minimas omnes, nulla excepta, coelo nubilo.
- 4) Altitudinibus maximis plerisque focium fuisse ventum ex N vel O, plagisve contiguis spirantem, plerisque minimis ventum ex W vel S allabentem.
- 5) Mercurium in barometro universè plus variare, hoc est, altius ascendere & descendere, sex mensibus hyemalibus quam aestivis, uti variationes mediae, ad calcem tabulae adjectae, commonstrant.

Altitu-



Altitudines barometri medias pro singulis mensibus ac toto anno continet series tabulae postrema. Hae inventae sunt, altitudinem quamvis maximam & respondentem minimam addendo, & per 2 dividendo. Mediae hae altitudines, quas *arithmeticas* appellant, vitii & erroris plenae sunt; qui enim ex duabus folis observationibus media omnium deduci poterit? Eas hoc anno propterea exhibui, ut, quantum a *veris* distent, appareret. Veras has altitudines medias sistit

*Tabula II.* Eas nactus sum modo sequenti. Tres cujusvis diei observationes in unam summam collectas per 3 divisi, quae ratio mihi altitudines medias diurnas per totum annum dedit. Altitudines mediae omnium dierum, ex quibus mensis quivis componitur, sibi additae, & numero horum dierum divisae, altitudines medias *mensuales*, quas tabula continet, subministrarunt. Denique altitudinem mediam *annuam*, in calce tabulae positam inveni, summam mediarum altitudinum mensuarum per 12, seu numerum mensium, dividendo.

Altitudinem hanc annuam 27. 9. 9 nequis velim pro altitudine media barometrica Manheimensi, ex qua hujus urbis supra mare mediterraneum altitudo erui possit, illico arripiat. Annuae ejusmodi altitudines non semper sibi constant, ac proinde plurium annorum serie opus est ad loci cujusdam mediam altitudinem barometricam definiendam.

*Tabula III* altitudinem mediam barometri triplicem ob oculos ponit, matutinam, meridianam, vespertinam, ex observationibus, ter in dies stato tempore institutis, separatim deductam. Eum in finem omnes cujusvis mensis observationes matutinas, hoc est, hora 7 matutina factas, in unam summam congeffi, ac numero dierum, mensem constituentium, divisi. Eundem modum secutus sum respectu observationum meridianarum & vespertinarum, id est, hora 2 pomeridiana & 9 vespertina institutarum. Altitudines mediae, in calce tabulae exhibitae docent, barometrum sub meridiem, quam mane & vespere, universim minus altum consistere, quod si soli tribuero, directe magis in atmosphaeram eo tempore agenti, nemo forsitan erit, qui jure me reprehendat. Rationem minoris hujus altitudinis repeti a calore aëris, barometrum ambientis, non posse, patet ex

*Tabula IV.* In hac sisto calorem medium matutinum, meridianum, & vespertinum aëris, cui barometrum tempore observationum immerfum fuit. Haec media eodem modo, quo in tabula III medias altitudines, determinavi, thermometro juxta barometrum suspensio eam in rem usus. Fuit calor Musaei meridianus, ut tabula ostendit, ceteris major, ex quo capite barometri altitudo potius incrementum eo tempore quam decrementum capere debuisset. Ex hac tabula porro videre est, calorem medium annuum aëris barometro circumfusi a *temperato* haud multum abesse. Ex tribus enim mediis, in fine tabulae positis, medius ille calor annuus = 11. 7 reperitur.

Quam

Lunam in barometrum secundum diversam aetatem suam agere, ex tabula I non obscure modo perspeximus. Hoc vero multo clarius probat

*Tabula V,* sequenti modo condita. Ab ea hora, qua luna se refecit, usque ad eam horam, in quam primus ejus quadrans incidit, omnes observationes barometricas in unam summam collegi, quam dein numero observationum divisi, atque ita altitudines barometri medias pro singulis noviluniis, similique modo pro ceteris lunae phasibus definivi. Medias altitudines calci tabulae appositas inspicienti fit palam, barometrum a novilunio usque ad plenilunium altius ascendere, a plenilunio usque ad novilunium denuo descendere.

*Tabula VI* eandem rem confirmat. Hic non omnes summi observationes barometricas, inter duas lunae phases intermedias, sed 5 tantum dierum, illius scilicet diei, in quam phasis quaelibet incidit, biduique praecedentis & sequentis.

Qui luna pro diversa sua a tellure distantia in barometrum agat, ostendere conatus sum in

*Tabula VII.* Exhibet haec 1) dies, in quos lunae apogaea & perigaea inciderunt; 2) medias barometri altitudines, ex 5 diebus, quemadmodum in tabula VI, quaesitas; 3) phases lunae, quae sub tempora apogaeorum perigaeorumque locum habuere, ubi numeri & litterae appositae eundem, quem in tabula I, habent significatum. Sic  $\text{D} \text{I} \text{a}$  denotat, lunae apogaeum pridie primam ejus quadraturam incidisse. Ex mediis, in fine tabulae notatis, apparet, altitudinem barometri tempore apogaeorum, quam perigaeorum, majorem extitisse. Quodsi haec, aliaque ejusmodi consectaria universim tantum, uti fere fit, non singulis temporibus vera sunt, id caussis particularibus, olim detegendis, tribuendum est.

*Consectaria thermometrica* quatuor tabulae sequentes continent.

Tabula thermometrica I.

Menses.	Dies.	Calor maximus.	Ventus.	Coeli facies.	Luna.	Dies.	Calor minimus.	Ventus.	Coeli facies.	Luna.	Differentia seu variatio.
Januar.	30 merid.	6, 0	S S O	=	$\text{D}$ 4 a. $\text{C}$ 2 p.	16 mane.	-7, 8	S	$\text{O}$	$\text{C}$ 1 a. $\text{C}$ 2 p.	13, 8
Februar.	14 merid.	9, 4	S S W	=	$\text{C}$ 1 a. $\text{C}$ 4 p.	23 mane.	-1, 3	S S W	=	$\text{C}$	10, 7
Martius.	19 merid.	15, 1	W N W	=	$\text{C}$ 2 p. $\text{C}$ 5 a.	28 mane h. 6	0, 7	N N W	=	$\text{C}$ 3 p. $\text{C}$ 4 p.	14, 4
Aprilis.	11 merid.	19, 3	S S W	=	$\text{C}$ 3 p. $\text{C}$ 4 p.	1 mane h. 6	1, 3	N O	=	$\text{D}$ 1 a. $\text{C}$ 6 a.	18, 0

R

Menfes.	Dies.	Calor maximus.	Ventus.	Coeli facies.	Luna.	Dies.	Calor minimus.	Ventus.	Coeli facies.	Luna.	Differen- tia seu variatio.
Majus.	18 merid.	21, 9	N	=	☾ 3 p. ☾ 1 p.	7 mane h. 6	4, 4	NNO	☉	☾ 1 a. ☾ 3 p.	17, 5
Junius.	21 merid. h. 12. 1/4	23, 6	ONO	=	☾ 7 a.	8 mane.	11, 4	OSO	=	☾ 2 p. ☾ 6 a.	12, 2
Julius.	3 merid.	23, 3	OSO	☉	☾ 2 a. ☾ 5 p.	19 vesp.	10, 4	NNW	☽	☾ 2 a. ☾ 7 a. ☾ 7 p.	12, 9
August.	12 merid.	23, 5	SW	=	☾ 3 p.	23 mane.	10, 1	S	☽	☾ 3 a. ☾ 1 p.	13, 4
Septemb.	4 merid.	24, 3	SO	=	☾ 2 p. ☾ 1 a.	25 mane.	6, 1	SW	=	☾ 1 p. ☾ 6 p.	18, 2
October.	4 merid.	14, 0	NO	=	☾ 2 p. ☾ 1 p.	23 mane h. 6	2, 9	SSW	=	☾ 7 p.	11, 1
November.	6 merid.	12, 7	SSW	=	☾ 3 a. ☾ 5 p.	11 mane.	-1, 9	OSO	☽	☾ 2 p. ☾ 2 a.	14, 6
December.	29 merid.	9, 1	W	=	☾ 1 a. ☾ 5 p.	12 mane.	-3, 8	ONO	=	☾ 3 a. ☾ 1 p.	12, 9
Toto anno.	4 Septembr.	24, 3	SO	=	☾ 2 p. ☾ 1 a.	16 Januar.	-7, 8	S	☉	☾ 1 a. ☾ 2 p.	Variatio maxima. 32, 1
Variatio media pro quovis anni mense											14, 1
Variatio media pro 6 mensibus aestivis											14, 8
Variatio media pro 6 mensibus hyemalibus											13, 5. 1/2

Tab. thermom. IV.

Menfes.	Dies.	Calor solaris maximus.	Numerus observationum.	Calor medius.		Differen- tia.
				thermom. in umbra.	thermom. foliare.	
Januar.	29	9, 3	9	0, 3	3, 7	3, 4
Februar.	13	10, 9	8	6, 9	8, 4	1, 5
Martius.	18	17, 8	21	9, 7	13, 6	3, 9
Aprilis.	19	25, 0	20	13, 8	17, 5	3, 7
Majus.	18 & 19	29, 0	26	16, 7	21, 4	4, 7
Junius.	2	27, 4	20	20, 1	23, 7	3, 6
Toto anno.	1 Sept.	31, 0	184	Medius ex omnibus. 12, 3   16, 2		3, 9

Menfes.	Dies.	Calor solaris maximus.	Numerus observationum.	Calor medius.		Differen- tia.
				thermom. in umbra.	thermom. foliare.	
Julius.	3	28, 2	21	20, 3	24, 3	4, 0
August.	1	29, 8	20	19, 9	25, 5	5, 6
Sept.	1	31, 0	13	21, 1	25, 8	4, 7
October.	4 & 5	19, 0	10	11, 0	16, 0	5, 0
Novemb.	3	12, 1	5	5, 1	9, 0	3, 9
Decemb.	21	9, 6	11	2, 3	5, 5	3, 2
Toto anno.	1 Sept.	31, 0	184	Medius ex omnibus. 12, 3   16, 2		3, 9

Tabula I singulorum mensium calorem maximum & minimum cum ceteris ficit, quae in prima tabula barometrica, cui haec similis est, explicavimus. Videre licet ex hac tabula,

1) Calorem omnium maximum mense Septembri, quod extraordinarium hoc anno est, locum habuisse.

2) Frigoris maximi vim haud magnam fuisse, cum 7 gradus & 8 decimas infra zerum non excefferit.

3) Menfes hyemales in universum omnes, praeter Januarium, mites hoc anno, aliis collato, extitisse.

4) Frigus omnium maximum coelo quidem sereno, ut fieri solet, atque etiam intra bidduum mutatae phasis lunaris, sed spirante vento australi, quod singulare est, incidisse.

5) Variationem thermometri toto anno maximam 32 gradus & 1 decimam aequasse.

6) Variationem aestate quam hyeme fuisse majorem.

Tabula II eosdem exhibet calores maximos & minimos, at simul altitudinem, qua barometrum eo tempore constitit, quo isti observati fuere. Apparet inde, altitudinem barometricam

Tabula thermom. II.

Menfes.	Calor maxim.	Barom.	Calor minim.	Barom.
Januar.	6, 0	27, 11, 1	-7, 8	27, 10, 0
Februar.	9, 4	27, 4, 3	-1, 3	27, 8, 4
Martius.	15, 1	27, 11, 2	0, 7	27, 7, 3
Aprilis.	19, 3	27, 7, 8	1, 3	27, 10, 3
Majus.	21, 9	27, 9, 2	4, 4	27, 10, 8
Junius.	23, 6	27, 6, 1	11, 4	27, 7, 3
Julius.	23, 3	27, 10, 2	10, 4	28, 0, 4
August.	23, 5	27, 11, 0	10, 1	27, 11, 6
September.	24, 3	27, 9, 3	6, 1	27, 4, 7
October.	14, 0	27, 11, 8	2, 9	27, 11, 9
November.	12, 7	27, 6, 6	-1, 9	27, 9, 5
December.	9, 1	27, 9, 6	-3, 8	27, 10, 7
Altitud. barom. media		27, 9, 0		27, 9, 6

Tab. thermom. III.

Menfes.	Calor medius			Medius ex 3 mediis.
	matutinus.	meridianus.	vespertinus.	
Januar.	-0, 8	1, 3	0, 1	0, 2
Februar.	2, 7	5, 5	3, 2	3, 8
Martius.	4, 0	9, 3	6, 2	6, 5
Aprilis.	8, 5	13, 6	10, 4	10, 8
Majus.	11, 2	16, 1	13, 1	13, 5
Junius.	14, 3	19, 4	15, 7	16, 5
Julius.	14, 8	19, 7	16, 6	17, 0
August.	14, 5	19, 5	16, 7	16, 9
Septemb.	11, 9	16, 8	13, 8	14, 2
October.	6, 5	10, 1	7, 6	8, 1
Novemb.	3, 1	5, 7	4, 0	4, 3
December.	1, 8	4, 2	2, 4	2, 8
Ex omnibus mensibus.	7, 8	11, 8	9, 2	9, 6

cam non tantum universim, quaesita ex omnibus altitudine media, sed etiam singulis fere mensibus majorem fuisse, cum calor infimum, quam cum supremum gradum occuparet.

*Tabula III* lectorem docet, tum rationem, quae inter calorem diei matutinum, meridianum ac vespertinum versata est, tum ejus per singulos menses incrementa decremентаque. Ea inspecta liquet,

1) Aërem spectato hoc anno 9 post meridiem horis, quam 5 horis ante eum, notabiliter plus calere, idque non solum in universum, sed singulis mensibus, nullo plane excepto, locum habere.

2) Mensium omnium maxime calidum, teste columna tabulae quinta, fuisse Julium, uti esse alias solet.

3) Calorem medium, ut eadem columna indicat, a Januario ad Julium pedetentim auctum, inde ad finem anni denuo imminutum fuisse.

4) Gradum incrementi ac decrementi medium per totum annum fuisse = 2. 7.

5) Calorem medium, ex omnibus anni observationibus quaesitum, esse 9. 6. Si itaque posueris, incrementa caloris decrementaque, tempore inter horas observationum intercepto, se mutuo compensasse, sequitur, omnes caloris gradus, qui toto anno a 7 matutina ad 9 vespertinam in agrum Manheimensem, aut saltem in loca thermometro meo vicina (p. 69), egerunt, esse = 3504, haec enim summa prodit, 9. 6 in 365 anni dies ducendo. Ast multum abest, ut, vel assumpta ea compensatione, hic calculus errore vacet propterea, quod actio solarium radiorum in eo neglecta sit, quae tamen non exigui momenti est, veluti liquet ex

*Tabula IV.* Haec duabus constat partibus. Prima exhibet singulorum mensium calorem solarem maximum, altera calorem medium cum umbratilem, tum solarem, eorumque differentiam. Medius solaris erutus est ex omnibus observationibus thermometri, soli expositi (p. 71), quovis mense factis; medius umbratilis ex totidem observationibus thermometri, in umbra ante fenestram musaei borealem pendentis (p. 69), eodem die eademque hora institutis. Numerum harum observationum, variis mensibus varium, in tabula exprimere consultum esse duxi. Opportunus hic locus est, de ipsis observationibus thermometri solaris pauca monendi, quae lectorem suspensum tenere aut offendere possent. Prioribus scilicet anni mensibus inter has observationes nonnullae occurrunt, quae calorem indicant, correspondenti umbratili aequalem, vel illo adeo minorem, quod quibusdam forsitan absconum videbitur. Sed notandum, id

non

non nisi coelo nubilo locum habuisse, ubi solis retro nubem pallida luce promicantis vis exigua fuit. Accedit 1), quod thermometrum solare 30 amplius pedibus altius umbratili collocatum sit (pag. 93), 2) quod illud saepe vento pateat, ex densiore nube repente spiranti, quae duplex ratio calorem, uti notum est, diminuit. Paucas hujus generis observationes de industria adduxi, ut eas sub certis rerum adjunctis locum habere posse appareret. Ceteras velut inutiles omisi. Ut ad tabulam nostram quartam redeamus, ex ea perspicitur,

1) Calorem solarem maximum, velut maximus umbratilis (Tab. therm. I), sub initium mensis Septembris, non tamen eodem die, incidisse, atque illum 6 gradibus cum  $\frac{7}{10}$ , eoque consideratis locis adhuc amplius, hoc fuisse majorem.

2) Attamen differentiam inter calorem medium solarem & umbratilem, ex pari numero observationum eodem tempore institutarum quaesitum, tantam non fuisse, sive singulos menses, sive annum totum spectes.

3) Calorem solarem medium non tantum in mensem Julium, uti medius umbratilis (tab. thermom. III), sed in ipsum usque Septembrem identidem increviffe.

4) Tam incrementa quam decremента caloris solaris medii sensim imminuta fuisse, priora tamen ista non sine statione quadam & retrogressu. Notatu dignus enormis saltus hujus caloris Septembrem inter & Octobrem a 25. 8 ad 16. 0.

De hoc calore solari animadvertendum universim adhuc est, illum, ut ut umbratili multo superiorem, ab ea tamen vi, qua solis radii in tellurem agunt, longe abesse propterea, quod thermometri bulbus corpus laeve & solitarie positum, terra vero aspera & quasi aggerata sit, in qua radii saepius repercussi & accumulati calorem magnopere augent. Thermometrum cum eo, quod in pinna turris firmatum est (pag. 71), omnino consentaneum radiis solaribus prope tellurem pari situ eodemque tempore saepius exposui, & adjuvante socio observavi, ac discrimen inter utrumque non raro 12 aut 15 graduum inveni.

*Consectaria hygrometrica* duabus tabulis absolvam, quas hic subjicio. Praemoneam vero oportet, ex observationibus integris, nulla caloris ergo reductione facta (pag. 78), eas me composuisse.

Tab. hygrometrica I.

Menfes.	Dies.	Humiditas maxima.	Coelum.	Dies.	Siccitas maxima.	Coelum.
Januar.	19	8, 5	== II	29	40, 0	⊖
Februar.	10	14, 0	= II	17	44, 4	=
Martius.	3	15, 8	== II	19	62, 4	=
Aprilis.	27	14, 3	== II	19	60, 5	⊙
Majus.	1	23, 0	==	31	64, 0	=
Junius.	28	22, 0	== II	1	65, 0	=
Julius.	11	30, 0	== II	3	60, 1	⊙
August.	7	23, 4	= II	12	57, 0	⊖
Septemb.	30	19, 4	⊖ II	6	55, 4	⊖
October.	2	9, 6	== II	9	47, 1	⊙
Novemb.	16	9, 8	== II	18	36, 4	=
December.	19	4, 4	== ::	10	36, 3	⊖
Toto anno.	19 Dec.	4, 4	== ::	1 Jun.	65, 0	=

Tabula I oculis subjicit maximam cum humiditatem tum siccitatem per singulos anni menses, una cum coeli statu quavis illas vice comitato. Ventos nullos oppofui eo, quod, etfi alii humidi, ficci alii communiter habeantur, effectum illorum nullum vel perexiguum ea in re hoc anno deprehenderim. De reliquo ex hac tabula fit planum,

1) Maximam omnium humiditatem, eamque, ni fallor, alias haud ordinariam 4. 4, mense Decembri incidisse, coelo denfo & nebuloso. Per triduum eo tempore in urbe & agro nostro dominata est nebula, quae caulem hygrometri insigniter expandit, & mercurium depreffit.

2) Siccitatem inter omnes maximam, 65 gradibus non majorem, extitisse calendis Junii, coelo ex magna parte sereno.

3) Mensibus singulis coelum maxime humidum, semper fuisse una denfum, aut pluvium nebulosumve; maxime ficcum, plerumque simul clarum aut ferenum. De pluvia dum hic loquor, quam & in tabula notavi, eam non ipso semper observationis tempore, sed eo saltem die, aut nocte praecedente, cecidisse intelligo.

Tabula II, tertiae thermometricae omnino similis, duplicem sistit humiditatem mediam, alteram in trina observationum tempora partitam, alteram ex his tribus definitam. Ex ea lector intelligit,

1) Hu-

Tab. hygrom. II.

Menfes.	Humiditas media			Media ex 3 medijs.
	matutina,	meridiana,	vespert.	
Januar.	20, 2	24, 1	22, 1	22, 1
Februar.	27, 2	34, 9	29, 8	30, 6
Martius.	34, 5	47, 4	43, 8	41, 9
Aprilis.	36, 8	48, 7	44, 4	43, 3
Majus.	41, 9	53, 2	48, 8	48, 0
Junius.	40, 9	52, 8	45, 3	46, 3
Julius.	46, 2	55, 5	50, 6	50, 8
August.	39, 2	49, 4	42, 7	43, 8
Septemb.	31, 7	42, 8	37, 3	37, 3
October.	22, 2	35, 3	29, 2	28, 9
Novemb.	18, 0	25, 5	21, 2	21, 6
December.	17, 1	21, 4	18, 0	18, 8
Ex omnibus mensibus.	31, 3	40, 9	36, 1	36, 1

1) Humiditatem aëris matutinam nullo non mense fuisse maximam, minimam fuisse meridiana, mediam inter utramque vespertinam incessisse, adeo, ut haec omnino prodeat, si matutinam meridiana addas, & summam bipertiaris.

2) Menses maxime humidos fuisse Januarium, Novembrem & Decembrem, ut ex columna quinta patet.

3) Humiditatem, velut ex eadem columna videre est, a Januario ad Julium continuo, unicum mensem si excipias, decrevisse, inde ad Decembrem usque identidem fuisse auctam.

Consectaria observationum pluviae duae continent succinctae tabulae, quarum prima sistit dies cujusvis mensis maxime pluvios, una cum proximis lunae phasibus, perigaeis & apogaeis; altera quantitatem aquae pluviaticae singulis mensibus, ac toto anno lapsae, adjuncta media altitudine, qua Rhenus per menses singulos constitit. Monstrat tabula prima,

1) Copiam pluviae per totum annum maximam cecidisse die 14 Septembris. Aequavit ea 1105 partes lineae 64tas, five 1 pollicem, 5 lineas.

2) Dies singulorum mensium maxime pluvios cecidisse plerosque intra biennium phasem lunarem praecedens, unicum postridie, paucos intra triduum praecedens subsequensve.

3) Partem horum dierum maximam lunae phasibus, quam apogaeis perigaeisque, fuisse propiorem, adeo, ut majorem cum illis, quam cum his, conjunctionem habuisse videantur.

Ex tabula pluviae altera apparet, 1) maximam pluviae copiam fuisse mensem Augustum, minimam Martium; 2) inter incrementa Rheni decrementaque, ac quantitatem pluviae correspondentium mensium, nullam fuisse proportionem.

Consectaria observationum Evaporationis tabella complectitur, tabulae pluviae II juncta. In hac eos tantum menses collocavi, in quibus gelu observationes nullo die interruptit (pag. 93). Inde liquet,

1) Aquae copiam, quae evaporando in auras evasit, non tantum singulis his mensibus, sed & toto anno longe majorem fuisse ea, quae pluviae seu fluidae seu gelatae specie in speculam meam meteorologicam decidit. Nam vel duorum mensium Julii & Augusti Evaporationes sibi additae excedunt summam pluviae toto anno delapsae. Ceterum constat, in montibus plus pluere quam in planitie, & plus in hujus uno quam in alio loco; praeterea humores copiosos roris forma relabi, alios fugi a plantarum corticibus, foliis, floribus &c. 2)

2) Evaporationem inter & aëris calorem magnam conjunctionem intercedere; utriusque enim incrementa & decrements si per singulos menses generatim consideres, socio pede incesfisse videbis.

Quoniam vero aër menftrum efl aquae, non tantum ejus calor, de quo jam egimus, fed etiam motus, ficcitas, gravitas cum evaporatione connexa funt, quae omnia ut cum ea olim rite comparem, operam dabo.

Tab. Pluviae I.

Table with columns: Menses, Dies, Quantitas pluv. max. part. 64tae, Phafes Lunae, Lunae perigaea & apogaea. Rows for months Jan to Dec and totals.

Tab. Pluviae II.

Table with columns: Menses, Quantitas pluviae, Rheni altitudo media, Quantitas Evaporationis, Calor medius. Rows for months and totals.

Tab. Evaporationis.

Tab. declinationis magneticae.

Table with columns: Menses, Declinatio (maxima, minima), Differentia feu Variatio, Declinatio media (matut., merid., vesp.), Media ex his tribus. Rows for months and totals.

Confectaria observationum venti duplici tabula, infra pofita, continentur. Prima oftendit, quoties ventus quivis ex 1095 observationibus per annum institutis flaverit. Hinc ventos dominantes fuiffe reperimus N N W, O N O & S S W, quorum primus locum principem inter omnes tenet. Tabula fecunda ventos vehementiores omnes, qui viribus = 3 aut 4 per anni decursum faevierunt, una cum lunae pofitionibus ejus temporis, ante oculos ponit. Notae arithmeticae, lunae fignis adjectae, dies indicant, quibus venti finguli exorti funt. Ex hac tabula perfpicimus, 1) ventos hos omnes aut recta ex W, aut ex binis plagis lateralibus S W vel N W fuiffe allapfos; 2) omnes, exceptis paucis, biduo ante vel pofl mutatam lunae phafem extitiffe, inter tres vero, qui ab hac regula diffentlunt, duos prope lunae perigaeum aut apogaeum incidiffe.

Confectaria magnetica fequens tabula comprehendit. Siftit ea cum declinationem cujusvis mensis maximam minimamque, adjuncta differentia, tum declinationem mediam duplicem, alteram tripartitam, alteram ex hac deductam. Perfpicuum efl ex hac tabula,

1) Variationem acus meae toto anno maximam fuiffe 1 gradus, 13 minutorum, quae variationi anni 1780 comparata non admodum infignis efl. Iflo enim anno, quam praefenti, plus motus aurorae boreales in acu produxere.

2) Declinationem matutinam per omnes menses, Februario excepto, fuiffe minimam, maximam meridianam, mediam vespertinam, quod idem de calore fupra oftendimus.

Tabula ventorum I.

Table with columns: Menses, N, NN, NN, O, NO, NO, O, OS, OS, S, SO, SO, S, SS, SS, W, SW, SW, W, WS, WS, W, WN, WN, NW, NN, NW. Rows for months and totals.

Tab. Ventorum II.

Menfes.	Dies.	Ventus.	Lunae positio.
Januar.	23 25-27	S W 3 W-SW 3	☉ I a. ☉ I p. ☾ 3 a.
Februar.	13-15 27-28	W-SW 3-4 SW-NW 3-4	☾ 2 a. ☾ 3 p. ☾ 4 p. ☽ 4 a.
Julius.	7	N W 3	☽ 2 p.
August.	29	W 3	☽ 3 p. ☽ 4 a. ☾ 7 p. ☾ 7 a.

Menfes.	Dies.	Ventus.	Lunae positio.
Sept.	17 26-27	S W 3 S W 3-4	☉ I a. ☾ 2 a. ☽ 2 p.
Octob.	20-21	W 3	☽ 3 p. ☽ 3 a. ☾ 4 p.
Nov.	15-16	S W 3	☉ ☾ 2 p.
Decemb.	29	W-NW 3	☽ I a.

Consectaria observationum status coeli & meteororum sequenti tabula sisto, in qua notae arithmeticae numerum dierum significant, quibus singulae aëris vicissitudines locum habuere. Signo ☉ hic etiam ☽ comprehendo, & signa ☽ & ☽ apposui, ubi in duabus saltem observationibus ipsa, signave idem eminenter indicantia, occurrerunt.

Tabula in coeli faciem & Meteora.

Menfes.	☉	☽	☽	☽	☽	☽	☽	☽	☽	☽	☽	☽
Jan.	2	7	12	10	7	7	1	7	0	1	1	1
Februar.	0	6	19	3	14	5	1	0	0	0	2	2
Mart.	5	3	9	14	3	0	2	10	0	0	4	4
April.	3	2	18	7	11	0	0	1	2	1	2	2
Majus.	9	1	11	10	8	0	0	0	3	1	0	0
Junius.	0	3	12	15	15	0	0	0	5	0	1	1
Julius.	6	0	16	9	6	0	0	0	1	0	0	0
August.	6	1	12	12	17	0	0	3	7	0	0	0
Sept.	3	2	15	10	14	0	0	5	4	1	0	0
Octob.	3	6	17	5	14	0	0	4	0	0	1	1
Novemb.	0	6	17	7	16	0	3	7	0	1	0	0
Decemb.	1	11	7	12	10	1	0	10	0	1	0	0
Summa.	38	52	165	114	135	13	7	47	22	6	11	11

Docet haec tabula, 1) numerum dierum serenorum toto anno non permagnum, tribus vero mensibus, quos inter & Junius, diem ejusmodi plane nullum fuisse; 2) paucos fuisse dies nivales, nebulosos oppido multos, horumque plurimos Martio & Decembri extitisse &c. Tempestatem auras boreales subsecutam in tabula adjunxissim, siquid stabile ac verisimile hac in re deprehendissim. Sed biduo sequenti in omnibus diligenter perlustrato inter undecim, qui apparuere, fenas pluvia, quinas nulla exceptit. Plerasque equidem ventus secutus est paulo intensior, sed valde dubium, an illis tribuendus, quod anni futuri docebunt. Monendum etiam, me tempore horum phaenomenorum nullam in electrometro atmosphaerico electricitatem invenisse. Brevem hic addo descriptionem aurorarum borealium, in specula electorali astronomica observatarum, quam a cl. ejusdem speculae praefecto König (pag. 18) accepi.

Auro-

Aurorae boreales, an. 1781 in specula astronomica Manheimensi observatae.

- Januar. 28 Hora 12 media nocte lumen boreale album sine striis aut fasciis.
- Febr. 16 Hora 8. 50 per nubes aurora borealis transparent. Hora 9. 30 cum striis flavis & rubris. Hora 10 nubes nigrae totum coelum occupant. Antè initium aurorae bor. aliquot vehementiores venti concussiones. Durante & finita aurora bor. magna aëris quies.
- Mart. 14 Hora 9 aurora borealis alba, sine striis, per horae quadrantem circiter durat.
- 19 Hora 8. 30 infra stellam polarem apparent duae striae albae pallidae in forma crucis.
- 20 Hora 12 indicia aurorae borealis incipientis, 10° circiter a borea in ortum deflectentis.
- 27 Hora 10 incipit aurora borealis alba sine striis; adhuc observatur die 28 mane hora 3. 10.
- 28 Hora 9 aurora bor. alba sine striis.
- 29 Hora 11 lumen boreale flavum cum striis rubescentibus, luna in horizonte posita.
- April. 14 Hora 8. 15 per nubes suspicio aurorae borealis; certa fit ejus praesentia die 15 mane hora 1. 50.
- 24 Hora 10. 15 lux magna ad boream per nubes suspensionem praesentis aurorae borealis excitat.
- Jun. 9 Mane hora 1 aurora borealis 14 striis albis constans & rectis ex centro 40° a borea in occasum distante ascendentibus; eodem tempore aderant fornices albae ex centro 5° a W in S distante, & cis & trans Zenith transeuntes in plaga orientali sese de novo in centrum colligunt. Hora 2. 35 flante vento W sequitur pluvia.
- Jun. 19 Hora 12 aurora bor. alba sine striis.

S 2

Hora

- Jul. 8 Hora 12½ in West albescens nubes electrica cum radiis, ut aurora borealis.
- Aug. 21 Hora 11. 20 per nubes aurora borealis flava.
- 26 Hora 11½ indicia aurorae borealis; certa est hora 11. 50 radiis rubris per caput ur-  
sae majoris ascendentibus.
- Sept. 3 Mane hora 3 apparet in West conus albus, indeque exeuntes striae electricae indi-  
cia praesentis aurorae borealis.
- 24 Hora 9. 20 apparuit 10° circiter ex West in Sud declinans stria alba, superius re-  
curva versus Nord & in formam scopae expansa, inclinata ad horizontem sub an-  
gulo 50° circiter. Hora 9. 4½ fit recta in eadem inclinatione. Hora 10 nubes coe-  
lum obtegunt. Nubes succedentes ascendunt ex centro West ut radii aurorae borea-  
lis nigrae, mixtae albis & pellucidis.
- Oct. 4 Suspicio aurorae bor. circa 12 h.
- 19 Hora 10½ per nubes transparet aurora borealis.
- Nov. 19 Vesperi aurora bor. cum striis flavis.
- Dec. 11 Hora 10 aurora borealis, in forma praegrandi lucis ruberrimae, in NW consistens.

*Consectaria electrica* tabula superius communicata subministrat commonstratque,

1) Ex 66 vicibus, quibus electrometrum atmosphaericum ignem evibravit, hunc de-  
cies novies coelo tonante, quadragies septies vero transeuntibus nubibus mutis illi fuisse im-  
missum, atque inter has nubes 23 pluvias fuisse. De pluviis generatim notandum, harum  
complures, diversis anni temporibus lapsas, nullam electricitatem, quae sub sensus caderet,  
machinae meae attulisse.

2) Ignem fulmineum, habita omnium vicissitudinum ratione, 68 vicibus e tellure in nu-  
bes, ex his vero in illam 57 vicibus se infudisse, ac proinde 11 nubes negativas plures quam  
positivas transisse, non computatis iis, quae meram attractionem, non ignem, in machina  
generunt.

3) Ex

3) Ex supra dictis 66 vicibus, quibus electrometrum atmosphaericum fulguravit, nubes  
foetas venisse 24 vicibus ex N W, 14 ex S O, 11 ex S W, 10 ex W, 4 ex O, & 4 ex N O,  
ubi notandum, mense Junio duas tempestates ex plagis oppositis O & W eodem tempore  
inceffisse.

*Consectaria tabulae propagationis incolarum urbis nostrae sunt sequentia,*

1) Masculos 33 plures, quam puellas, fuisse natos, quae differentia, toti natorum in-  
fantum numero 743 comparata, exigua est, mutabilis etiam, ut annis sequentibus videbi-  
mus, jam ad hujus, jam ad illius sexus partem accessura.

2) Numerum natorum Catholicorum, = 472, fere esse duplum natorum Protestantum,  
= 248; illorum vero matrimonia hoc anno contracta ad horum matrimonia esse in ratione 72  
ad 61, quae multum abest ut sit dupla. Haec anno proximo in calculum venient.

3) Natos Lutheranos fere pares esse numero natis Reformatis, inter utriusque vero par-  
tis nova matrimonia 13 parium esse differentiam, quae res iterum anno sequenti observandi  
materiam suppeditabit.

4) Summam mortuorum virorum & mulierum esse ad summam mortuorum infantum ac  
juvenum, seu coelibum in universum (pag. 50), ut 412 ad 652, adeoque hanc esse illa 240  
majorem, quae notabilis differentia partem ex morbis repetenda est, in tabula consignatis.

5) Summam omnium mortuorum, = 1064, a summa omnium natorum, = 743, ex-  
